This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.
+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.
+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.
+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`

A 868,753


1837
ARTES
VERITAS
SCIENTIA
LIBRARY OF THE
UNIVERSITY OF MICHIGAN
E PLURIBUS UNUM
TUEBOR
SI QUAERIS PENINSULAM AMOENAM
CIRCUMSPICE



878
J70
E

SPECIMEN LITERARIUM INAUGURALE

EXHIBENS

PROSOPOGRAPHIAE JUVENALIS

PARTEM PRIOREM.

SPECIMEN LITERARIUM INAUGURALE

EXHIBENS

80092

PROSOPOGRAPHIAE JUVENALIS

PARTEM PRIOREM,

QUOD

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE RECTORIS MAGNIFICI

HIDDONIS HALBERTSMA, JUSTI FIL.

IN FACULTATE MEDICA PROF. ORD.,

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU

ET

NOBILISSIMAE FACULTATIS PHILOSOPHIAE THEORETICAE ET LITERARUM HUMANIORUM DECRETO,

Pro Gradu Doctoratus,

SUMMISQUE IN PHILOSOPHIAE THEORETICAE ET LITERARUM HUMANIORUM DISCIPLINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS

IN ACADEMIA LUGDUNO-BATAVA

RITE AC LEGITIME CONSEQUENDIS,

PUBLICO AC SOLEMNI EXAMINI SUBMITTET

ECCO EPKEMA,

AMSTELODAMENSIS,

DIE XIII M. OCTOBRIS A. MDCCCLXIV, HORA II—III.

IN AUDITORIO MAJORI.

AMSTELODAMI,
APUD J. D. SYBRANDI.
MDCCCLXIV.

PATRI CARISSIMO.

PRAEFATIO.

Jam tandem munere defuncturus, quod adhuc restabat, quominus dici possem stadium academicum ad finem decurrisse, quem prius, quam te, carissime pater, appellem, cui tot tantaque debeo, quanta mente potius concipere possum, quam verbis exprimere? Tu enim non vitae solum omniumque quae haec lux jucunda afferre solet auctor mihi exstitisti, sed ab infantia animum excolere optimisque rebus erudire omni cura et industria studuisti; nec patrem tantum te atque educatorem, sed eundem literarum ac disciplinarum praeceptorem sum nactus, studiorumque socium et adjutorem.

Notae autem tibi sunt causae, mi pater, quare serius quam plerique sodalium meorum academica studia absolverim, nec tarditati quidem scis meae, verum aliis rebus illud tribuendum esse. Quum enim jurisprudentiae me operam daturum esse destinasses, a te impetravi, ut literarum studia saltem cum illa scientia

conjungere mihi liceret, ac satis longum tempus in utrisque operam collocavi. Meministi vero, quum sexennio fere abhinc gravi morbo affectus per aliquot menses solito tuo munere fungi impedireris, me rogatu tuo, ne prorsus institutione carerent discipuli, libenter in tuum locum successisse et pro viribus meis operam dedisse ne per aegritudinem tuam omnino adolescentes disciplina destituti essent. Postquam reconvaluisti et comprobatio tua meorum conatuum, et vero ipsa docendi dulcedo me incitavit ad petendum a te, ut missa jurisprudentia totum literis me dare mihi liceret, et te duce atque adjutore quotidie aliquot horas docendis literis impendere. Concedendo beatum me reddidisti, et ab eo inde tempore, horis inter studia mea et munus docendi divisis, illa fortasse aliquantum hac re retardata sunt, sed si in hoc non inutiliter operam collocasse videar, non parvae illud mihi erit compensationi. Jam vero quantis in ipso legendo et elaborando specimine difficultatibus conflictatus sim, notum tibi est. Bis variis casibus a proposito deterritus multum temporis et operae perdideram, quum postremo in hoc argumentum incidi, et JUVENALIS, *cujus personae nondum de industria tractatae essent, prosopographiam scribere constitui. In quo genere quum doctissimorum virorum exemplum haberem, eadem res simul meum animum ad sequendum allexit, simul conscium virium mearum tenuitatis sollicitum me habuit. Audendum tamen fuit et, cunctanter quamvis, opus aggressus sum, cujus confectio etsi non parum laboris exigebat cogebatque multa legere atque investigare, jucunda mihi fuit et perutilis. Utinam aliis quoque non omnino ingrata sit et aliquam*

saltem utilitatem afferendo non prorsus operam perdidisse videar. Sed quum viderem si totum jam absolvere vellem, pro specimine academicó nimis magnam copiam fore, nec diutius differendam esse dissertatioins editionem, nunc partem tantum operis confeci. Haec igitur ut legi academicae satisfaciam; quae si non omnino displicent spero fore ut in posterum cetera addendo debitum solvere possim.

Secundum patrem tu in primis mihi appellandus es, vir clarissime BOOT, *qui non lectionibus modo et publicis et privatis me instituisti et formasti, sed in omnibus opera consiliisque tuis mihi adfuisti, neque unquam mihi occupatus eras quum auxiliis indigens ad te adirem. Pro quibus omnibus et nunc palam gratias tibi ago quam maximas, et vero semper gratum erga te animum habebo.*

Omnes praeterea Athenaei Amstelodamensis professores, quorum disciplina usus sum, meas ex animo gratias accipite: ex quibus vos praesertim, clarissimos viros VAN DER HOEVEN *et* DE BOSCH KEMPER, *rogo, ut ne in malam mihi partem vertatis, quod studiis quae vestro ductu bene inceperam, quaeque mox absoluturus videbar, valedixerim, et quasi transfuga vestra agmina deseruerim, cujus rei supra causas memoravi. Nolite credere me idcirco memorem non esse utilitatis quam e vestris lectionibus percepi, neque sensisse quantopere illa studia cum literarum studio sint conjuncta.*

Te vero quo nomine appellabo, clarissime COBET, *promotor aestumatissime, qui nec pleno jure tuum dis-*

cipulum me dicere audeam, nec plane tamen consuetudinis tuae doctrinaeque fuerim expers. Quum enim solito more tuis lectionibus auditorem adesse mihi non contigisset, hospitis jura mihi concessisti et de ingenti tua eruditionis copia largiter et benigne mihi impertitus es. Praeceptis autem consiliisque tuis quantum me adjuveris ad rectam studiorum viam ingrediendam et vera a falsis distinguenda, nunquam non grato animo recordabor.

Utinam tibi quoque paterno amico, clarissime HUILLEMAN, *palam hic gratum animum testari possem pro multis quae in me contulisti beneficiis! Verum, eheu, immatura mors te discipulis, amicis, studiis, patriae eripuit. Fama tamen tua superstes est et memoria manet, quam pie equidem semper servabo.*

Vos denique, sodales, quorum per vitam academicam et jucunda et utilis mihi fuit amicitia, valete et mei estote memores, ac persuasum vobis habete nunquam fore ut vestri memoria meo animo excidat.

Amstelodami mense Octobri 1864.

PARS PRIOR

DE PERSONIS EX IMPERATORUM TEMPORIBUS, QUAE A JUVENALE INDUCUNTUR.

CAPUT PRIMUM

DE IIS, QUI LITERARUM STUDIO ET DOCTRINA INCLARUERUNT.

---

§ 1. DE POËTIS.

Ab illis initium facere opportunum mihi visum est, qui iisdem, quibus ipse JUVENALIS, studiis se dederunt. Graecorum autem hujus aetatis poëtarum mentionem quum faciat nullam, de solis Latinis hîc nobis agendum esse video. Hi igitur cum in aliis tum vero in Sat. VII memorantur, quae quidem, etsi differunt inter se interpretum opiniones, scripta esse videtur primis imperii TRAJANI annis (1). In scholiis autem ad hujus Sat. vs. 1. CAESAR explicatur per NERONEM; quod quum de ipso NERONE accipi nequeat, DOMITIANUS in-

(1) Vid. clarissimi J. G. HULLEMANNI *Orat. Jnaug.* in adnotatione 9 et Dr. G. VÖLKER: *Juvenal ein Lebens- und Charakterbild aus der Römischen Kaiserzeit, Elberfeld* 1851, pag. 84 sq.

telligi videtur, qui ab ipso JUVENALE *Calvus Nero* vocatur in Sat. IV et in scholiis saepius NERO dicitur. Alii de TITO, de NERVA alii JUVENALEM his versibus loqui judicant, SPALDINGIUS (1) de HADRIANO, SALMASIUS vero, cujus equidem sententiae accedo, de TRAJANO. DOMITIANUM enim h. l. a JUVENALE laudari vix probabile esse mihi videtur, qui si unquam poëtis favit, eorum maxime fautorem sese praebuerit, qui adulando et assentiendo ejus gratiam sibi conciliare studerent (2). Hoc igitur imperatore potius exstitisse mihi videtur misera ista omnium qui studia in literis collocarent conditio, quae in hac satira describitur. Ergo de TITO ne cogitari quidem potest; NERVAE autem imperii spatium brevius fuit, quam ut *tristes camenas respicere* posset; sed cum HULLEMANNO, qui CAR. FRID. HERMANNUM laudat, statuendum esse mihi videtur ad TRAJANUM pertinere, quae dicit poëta:

> **Et spes et ratio studiorum in Caesare tantum:**
> **solus enim tristes hac tempestate Camenas**
> **respexit cet.**

Hunc enim literarum studiis favisse vel inde apparet, quod bibliothecam Ulpiam constituit, cum idem a PLINIO (3) laudatur in *Panegyrico* cap. XLVII: „Sub te „spiritum, et sanguinem et patriam receperunt studia: „quae priorum temporum immanitas exsiliis puniebat." Quod quamvis inprimis ad mathematicos et philosophos

(1) Vid. SPALDINGIUS in *Praefatione ad Quintiliani Inst. Or. pag.* XXXII

(2) Vid. SUETONIUS *in vita Dom.* caput II: „.... inprimisque poëticae „studium tam insuetum antea sibi, quam postea spretum et abjectum." cf. TACITUS *in vita Agric.* cap. II.

(3) HULLEMANNUS l. l. dicit HERMANNUM idoneis argumentis firmasse, Sat. VII paulo post *Panegyricum* PLINII A. 101 vel 102 editam esse.

pertineat, omnis humanitatis fautorem eum fuisse ex PLINII loco conficitur, qui tamen TRAJANI merita nimis exaggerare videtur; quemadmodum JUVENALIS etiam testimonio non nisi prudenter utendum esse recte monet HULLEMANNUS l. l.

Jam videamus quaenam fuerit poëtarum conditio, quam describit JUVENALIS Sat. VII vs. 3—97. Poëtas, etiam nobilissimos, coactos fuisse dicit, ne fame interirent, Musis valedicere atque ex aliis, vilissimis etiam officiis victum sibi quaerere. Jam vero quum sub TRAJANI imperio in melius conversa tempora viderentur, poëtas admonet, ut in honorem Caesaris carmina componant. Legimus enim vs. 20 sq.

> Hoc agite, o juvenes! circumspicit et stimulat vos
> materiamque sibi ducis indulgentia quaerit.

Aliunde vero ne exspectent praesidia rerum suarum; divites enim disertos, in iis poëtas, admirantur quidem et laudant, nec vero muneribus eorum paupertati succurrere student. Qua ratione autem divites, qui ipsi versus faciunt et uni tantum HOMERO cedunt, satis se poëtis favere putent, legimus vs. 39 sqq.

> . . . . . tu si dulcedine famae
> succensus recites, maculosas commodat aedes:
> haec longe ferrata domus servire jubetur,
> in qua sollicitas imitatur janua portas.
> Scit dare libertos extrema in parte sedentes
> ordinis et magnas comitum disponere voces;
> nemo dabit regum, quanti subsellia constant,
> et quae conducto pendent anabathra tigillo,
> quaeque reportandis posita est orchestra cathedris.

Nihilominus tamen multos ambitione seductos ait

poësi operam dare, sed pauperes inopesque egregios vates esse nequaquam posse dicit, quod deinde multorum exemplo, RUBRENI LAPPAE, SALEII, SERRANI, aliorum ostendit, quibus opponit HORATIUM et VERGILIUM, qui celeberrima sua carmina non composuissent, nisi curis vacui fuissent. Gloriam quidem consequuntur, ait, egregii poëtae, ut STATIUS, sed tamen esuriunt, nisi histrionibus carmina sua vendant. Hi enim soli fere poëtarum fautores sunt, non ut olim divites; parvum tamen lucrum inde capiunt ipsi poëtae, ita ut recte addat:

Haud tamen invideas vati, quem pulpita pascunt.

Talia igitur universe JUVENALIS memorat de misera ante TRAJANUM poëtarum conditione: jam vero ad singulos in *Satiris* nominatos poëtas transeamus, omissis, ut par est, quos comparandi tantum causa confert prioris aetatis poëtas, LUCILIUM, HORATIUM, VERGILIUM.

Atque a M. ANNAEO LUCANO quidem et P. PAPINIO STATIO ordiamur, quorum alter divitiis abundabat, alter in summa egestate vivebat.

De illo legimus Sat. VII vs. 79.

> Contentus fama jaceat Lucanus in hortis
> marmoreis: at Serrano tenuique Saleio
> gloria quantalibet quid erit, si gloria tantum est?

Quem etsi obiter tantum tangit, famam divitiasque ejus laudans, quo magis eluceat misera conditio poëtarum, de quibus deinde agit, paucis tamen de eo hîc exponendum puto, quamquam auctorem *Pharsalicorum* non facile cuiquam ignotum fore existimo. In vita igitur LUCANI, quam scripsit SUETONIUS (1) legimus

(1) Vid. A. REIFFERSCHEID: *C. Suetonii Tranquilli praeter Caesarum*

eum Cordubae esse natum, quod confirmatur loco MARTIALIS I ep. LXI.

Duosque Senecas unicumque Lucanum
Facunda loquitur Corduba.

ANNAEO MELA patre (1), equite Romano, matre ACILIA natus, mature Romam traductus est, ubi educaretur. Ab optimis praeceptoribus eruditus, deinde audientium admirationem consecutus est ac Romae floruit imperante NERONE, cujus primo usus est favore, nec tamen in gratia permansit; qui enim imperator iste, qui ipse quoque poëtae laudem affectaret, aequo animo LUCANI famam ferre potuisset? quemadmodum docemur a DIONE Libro LXII s. f. *ὁ καὶ δὴ Λουκανὸς ἐκωλύθη ποιεῖν, ἐπειδὰν ἰσχυρῶς ἐπί τῇ ποιήσει ἐπηνεῖτο*, cum quo loco cf. TACIT. *Annal.* XV c. 49 (2). Quanta autem a NERONE contumelia affectus sit, quamque graviter eam tulerit, legimus in vita LUCANI: „Non tamen per„mansit in gratia: si quidem aegre ferens, (quod Nero se) „recitante subito ac nulla nisi refrigerandi sui causa „indicto senatu recessisset, neque verbis adversus prin„cipem neque factis exstantibus post haec temperavit „cet." In quibus quaedam animadvertenda videntur. Neque enim placet illud *factis exstantibus* pro quibus legendum existimo *irritantibus*, aut, ut JAHNIUS con-

libros reliquiae pag. 392 sqq., qui judicat vitam a SUETONIO quidem scriptam sed initio mutilatam esse, nec in reliqua parte integritatem suam servasse. Hanc vitam legimus in editione REIFFERSCHEIDI pag. 50 sqq. quum pag. 76 sqq. affert vitam M. ANNAEI LUCANI, *de commentario* ut dicit *Vaccae sublata.*

(1) c. f. TACIT. ANNAL XVI 17.

(2) In vita LUCANI apud REIFFERSCHEIDUM pag. 78 additur ei interdictum esse causarum actionibus.

jecit, *excitantibus*. Tum molesta sunt verba *indicto senatu*, quae vulgari quidem significatione de *senatu extra ordinem convocato* hîc accipi nullo modo possunt. Neque enim si huius rei causa recessisset princeps, erat quod tam aegre ferret LUCANUS, atque ita prorsus languerent verba *refrigerandi sui causa*. Latet igitur, ni fallor, vitium in his verbis, quod quomodo tamen emendandum sit mihi non subvenit. Hoc certe constat LUCANUM a NERONE contumelia affectum odio incensum eo usque processisse, ut carmina famosa in NERONEM ederet et postremo socius, quin paene signifer factus sit conjurationis Pisonianae A. U. 818, de qua legatur TACITUS (1). Conjuratione detecta LUCANUS reus agitur; primo abnuit, paulo post, promissa impunitate confessus est, quin etiam, „*quo tarditatem excu-„saret*", ut tradit TACITUS, matrem suam ACILIAM innoxiam quasi sociam conjurationis detulit. Promissae tamen impunitatis fructum non tulit; narrat enim TACITUS *Annal.* XV cap. 70 eum, arbitrio mortis a NERONE dato, venis concisis diem obiisse. Anno post pater ejus, bona filii repetens, ipse etiam accusatus tanquam socius ejusdem conjurationis, eodem modo mortem sibi conscivit.

De ingenio autem moribusque LUCANI haec legimus apud QUINTILIANUM *Inst. Or.* X, I, 90: „Lucanus ar-„dens et concitatus, et sententiis clarissimus, et ut „dicam quod sentio, magis oratoribus, quam poëtis „adnumerandus." Laudatur ab auctore *Dialogi de Oratoribus* cap. 20: „exigitur enim jam ab oratore etiam „poëticus decor, non Accii aut Pacuvii veterno inqui-

(1) Vid. TACIT. *Annal* XV cap. 49, 56 et 57.

„natus, sed ex Horatii et Vergilii et Lucani sacrario „prolatus cet." TACITUS *Annal.* XVI cap. 17 de patre ejus MELA dicit: „Idem Annaeum Lucanum genuerat, „grande adjumentum claritudinis cet." Sed quamvis inter bonos poëtas merito recenseatur, ejusdem tamen a SUETONIO arrogantia ita vituperatur: „Qui tantae „levitatis et tam immoderatae linguae fuit, ut in prae„fatione quadam aetatem et initia sua cum Vergilio comparans, ausus sit dicere: *et quantum mihi restat ad Culicem?*" intelligens haud multum abesse quin aeque bona carmina componeret ac VERGILIUS, *Culicis* auctor. Melius tamen scriptor ille LUCANI arrogantiam probasset, si verbi causa dixisset: *quantulum disto ab Aeneide*, quum *Culex* non inter optima VERGILII carmina recensendus sit, ita ut verba laudata modesta potius quam arrogantia possent videri.

Carmina autem LUCANI enumerat STATIUS *Silvarum* libr. II, VII vs. 54 sqq., unde discimus eum juvenem scripsisse carmen, quo agatur de HECTORIS et ACHILLIS certamine deque itinere PRIAMI ad ACHILLEM, ut filii corpus ab hoste redimeret. Deinde *Orpheum* composuit, populo admodum acceptum (1), scripsitque *de incendio urbis*. De optimo notissimoque ejus carmine sic legimus apud STATIUM vs. 64 sqq.

Mox coepta generosior juventa
albos ossibus Italis Philippos
et Pharsalica bella detonabis.

STATIUS in carmine suo maximis laudibus eum effert

(1) De hoc carmine legimus in vita LUCANI apud REIFFERSCHEIDUM pag. 77: »quippe et certamine pentaeterico acto in Pompei theatro laudibus »recitatis in Neronem fuerat coronatus, et extempore Orphea scriptum in »experimentum adversum complures ediderat poëtas cet."

eumque comparat cum optimis poëtis, quin etiam exaggerando palmam ei praebere videtur. Enumerantur etiam LUCANI carmina apud REIFFERSCHEIDUM l. l. pag. 78 sq. hoc modo: „Exstant ejus complures et alii, „ut *Iliacon*, *Saturnalia*, *Catachthonion*, *Silvarum* X, *tra-„goedia Medea imperfecta*, *salticae* (?) *fabulae* XIV, „*epigrammata*, prosa oratione *in Octavium Sagittam „et pro eo*, *de incendio urbis*, *epistolarum ex Campania*, „non fastidiendi quidem omnes, tales tamen ut belli „civilis videantur accessio." *Catachthonion* autem illud quod attinet, tale carmen eum scripsisse conficiunt e STATII vs. 57:

et sedes reserabis inferorum

Incertum tamen est utrum his ejus *de Orpheo* carmen indicetur, an aliud *de Inferis* carmen scripserit.

P. PAPINIUS STATIUS, Neapoli natus, Romae autem educatus DOMITIANO imperante floruit. Magnam quum consecutus esset famam ex tempore versus faciendo, postea carmina edidit, *Silvas* et *Thebaidem*, quae merito laude digna habebantur. Quantam ex hoc carmine ceperit gloriam videmus Sat. VII vs. 83 sqq.; unde facile conficitur eum in deliciis populi fuisse, sed tamen idem fuit pauperrimus, ut legitur vs. 86 sq.

. . . . . sed quum fregit subsellia versu,
esurit, intactam Paridi nisi vendat Agaven.

Jam vero quae carmina et cui ad vitam sustentandam vendiderit inquiramus. *Agaven vendidit Paridi.* PARIS autem notissimus illius temporis pantomimus, non tragoedus aut comoedus fuisse videtur. Namque addit scholiastes ad l. l. „nisi cantionem inauditam pan-

„tomimo vendidisset;" praeterea PARIS pantomimus memoratur in scholiis ad Sat. VI v. 87, qui a DOMITIANO occisus esse dicitur. Cujus quum aequalis fuerit STATIUS, non dubito quin de isto PARIDE hîc agat JUVENALIS (1). Hinc consequi videtur *Agaven* fuisse pantomimum, ita ut maxime mihi arrideat HEINRICHII opinio dicentis: „Es ist also wohl eher der Entwurf, die „Skizze zu einem neuen Ballet, eine poëtische Hand„lung, die pantomimisch dargestellt wird," In scholiis igitur, ut vidimus, *intactam* explicatur *inauditam*. Alii, accipiunt *non antea recitatam* aut *saltatam*, alii, fabulam cujus argumentum nullus adhuc Romanorum poëta attigit, inque iis HEINRICHIUS, qui vertit „*nagelneu*". Alludendi autem causa *intactam Agaven* dicere videtur, quasi *virginem intactam*. Quamquam etiam alibi hoc adjectivum eodem modo usurpatum invenitur, ex. gr. HORATII Libr. I sat. X vs. 66:

Quam rudis et Graecis intacti carminis auctor

et Libr. I Od. XXXV vs. 35:

. . . . . quid intactum nefasti
Liquimus.

cf. quoque VERGILII *Georg.* Lib. III vs. 41·

Interea Dryadum silvas saltusque sequamur
intactos, tua, Maecenas, haud mollia jussa.

---

(1) SPALDINGIUS contra *in Praefatione ad Quintiliani Inst. Or.* pag. XXXV judicat non de ipso PARIDE pantomimo h. l. agi, sed poëtam ejus nomine usum esse ad alium designandum, quod affirmat auctore SALMASIO, qui locum laudat „e vetusto vitae JUVENALIS auctore, quem „satis probabiliter conjicit ille SUETONIUM esse." At vita JUVENALIS SUETONIO vindicari nequit (vid. REIFFERSCHEID l. l. pag, 404) et locus nimis corruptus est, quam cui fidem praebeamus, quum praeterea ex ipsa JUVENALIS satira conflatus esse videtur.

Sequentibus versibus poëta indignatur, quod histriones poëtarum patroni et fautores sint, ac poëtas ipsos miseratur addens vs. 93:

Haud tamen invideas vati, quem pulpita pascunt.

Ad vs. 82 adnotat DOMITIUS CALDERINUS, JUVENALIS interpres, STATIUM, certamine poëtarum a DOMITIANO instituto (1), coronatum esse. Quem honorem quum insolenter jactaret, aliis poëtis invisum esse coepisse, quam ob rem JUVENALIS ei objecerit, PARIDIS gratia, non ob carminis elegantiam eum esse coronatum. Opinionem autem suam probare studet CALDERINUS versibus ipsius STATII, ubi legimus quidem eum ab imperatore auro fuisse donatum, qui tamen versus non indicant eum in hoc certamine coronatum fuisse. Rectius rem exposuisse judico OUDENDORPIUM ad SUETONIUM adnotantem nequaquam STATIUM in hoc certamine coronatum esse, verum ejus carmen cecidisse; cujus rei causam addit, quod poëta totus esset in elaboranda *Thebaide*, nec satis operae impendisset carmini *in honorem Jovis*, quod in hoc certamine ab eo sit recitatum. Quam opinionem probat loco e STATII *Silvis*, quem emendat et interpretatur. Quum vero *Thebais* ad finem perducta esset, tantam hoc carmine gloriam sibi consecutus est, ut facile illa calamitas compensaretur. Ex ejusdem SUETONII libris cognoscimus eum ter in Quinquatribus Minervae (2) sive Albano agone coro-

(1) Vid. SUET. *in vita Dom.* cap. IV: »Instituit et quinquennale certamen, Capitolino Jovi triplex, musicum, equestre, gymnicum, et aliquanto plurium quam nunc est coronarum."

(2) cf. DOMITIUS CALDERINUS ad Sat. VII vs. 82 qui tamen a Domitiano institutum certamen, de quo vide supra, confundere mihi videtur cum

natum esse ob carmina in honorem DOMITIANI, cui imperatori gratissimus fuerit, a quo scilicet coronis, auro, agris sit donatus. Quae quum parum conveniant cum nota ejus paupertate, de qua loquitur JUVENALIS, conjicere licet eum primis quidem temporibus in summa paupertate vixisse; quum vero PARIDIS gratiam iniisset, qui eum DOMITIANO commendaverit, meliore vitae conditione esse coepisse.

De ceteris a JUVENALE memoratis poëtis duo etiam prae aliis mentione digni sunt, de quibus jam videamus.

SALEIUS BASSUS pauper poëta, quem JUVENALIS Sat. VII vs. 80 *tenuem* vocat et cum SERRANO locupleti LUCANO opponit. De hoc ceteroquin parum cognito poëta epico (1) quaedam tradit auctor *Dialogi de Oratoribus* cap. V et IX sq. ubi JULIUS SECUNDUS, vir mirae facundiae et M. APER ad poëtam CURIATIUM MATERNUM veniunt et cum eo colloquium habent, in quo de BASSO tale judicium fert JULIUS SECUNDUS cap. V: „Quis enim nescit, neminem mihi „conjunctiorem esse et usu amicitiae et adsiduitate con„tubernii quam SALEIUM BASSUM, cum optimum vi„rum, tum absolutissimum poëtam? porro si poëtica „accusatur, non alium video reum locupletiorem."

M. APER cap. IX carmina laudem inanem et infructuosam poëtis praebere dicit, quod ex SALEII BASSI conditione probare studet. Egregium enim poëtam esse et pulcros jucundosque versus eum componere concedit; sed pauperrimum esse ostendit, nec quemquam eum

---

Quinquatribus Minervae; de utroque certamine cf. SUETON. *in vita Dom.* cap. IV.

(1) Vid. WEICHERT *de Lucii Varii vita et Carminibus* in Excurs. II, pag. 144.

deducere aut salutare aut prosequi, saepius ad amicos ei recurrendum esse, si in aliquod negotium inciderit; si magno cum labore carmen composuerit, cum magnis suis impensis vix eum efficere, ut coram nonnullis auditoribus hoc recitet, nec ullum inde fructum capere nisi laudem per breve temporis spatium. Mira tamen et eximia liberalitas VESPASIANI (1) laudatur, quod SALEIO BASSO quingenta sestertia donaverit. Deinde APER pergit enumerando poëtarum molestias et difficultates, quod poëtae multo minus quam oratores Romae clari sint, nedum in provinciis. Pergit autem cap. X: „quotusquisque cum ex Hispania vel Asia, „ne quid de Gallis nostris loquar, in urbem venit, „SALEIUM BASSUM requirit! atque adeo si quis requi„rit, ut semel vidit, transit et contentus est, ut si pic„turam aliquam vel statuam vidisset." Quod testimonium de poëtis universe et de ipso BASSO quum convenire videamus cum JUVENALIS verbis, hinc facile consequitur optimum quidem poëtam sed pauperrimum eum fuisse.

Nominis BASSI saepe mentionem fieri videmus, ac plures quidem BASSOS Romae vixisse, doctrina literarumque studiis memorabiles, docemur a WEICHERTO l. l. pag. 139 sqq. Apud MARTIALEM quoque non uno loco illud nomen legitur, nec unquam tamen hic SALEIUS BASSUS ab eo significari videtur, sed Libr. V 53 agit de malo poëta tragico; aliis locis, secundum sententiam WEICHERTI, BASSI nomen appellative accipiendum est, ut apud HORATIUM Lib. I Od. XXXVI vs. 14 ad ζωροποτην indicandum. Sed redeamus ad propositum.

(1) Vid. WEICHERT l. l. pag. 145.

LUBINUS in notis selectis ad JUVENALEM dicit SALEIUM vixisse tempore DOMITIANI; attamen jam VESPASIANO imperante eum floruisse inde conficitur, quod in *Dialogo de Oratoribus* de eo mentio fit, qui sermo habitus esse dicitur FLAVIO VESPASIANO VI, TITO VESPASIANO CAESARE IV Coss. Tale autem de eo judicium legimus apud QUINTILIANUM *Inst. Or.* X, I, 90: „Vehemens et poëticum ingenium SALEII „BASSI fuit, nec ipsum senectute maturum," ad quem locum BURMANNUS adnotat eum non ad senectutem pervenisse, sed inter illos esse recensendum, „qui acerbo fato supplantati sunt," ut SERRANUS et VALERIUS FLACCUS, vid. WEICHERT pag. 145.

WERNSDORF (1) ei, non LUCANO *panegyricum ad C. Calpurnium Pisonem* tribuit, cui tamen WEICHERT (2) non assentitur.

Nugas Schol. ad JUVENALIS l.l. et ineptam lectionem *Salino* silentio praetermittenda judico.

Deinde CATULLUS mimographus, de quo dicit Sat. VIII vs. 185 sq.

> Consumptis opibus vocem, Damasippe, locasti
> Sipario, clamosum ageres ut Phasma Catulli.
> Laureolum velox etiam bene Lentulus egit,
> judice me dignus vera cruce.

et Sat. XIII vs. 111.

> . . . . . mimum agit ille,
> urbani qualem fugitivus scurra Catulli.

Mimographum igitur fuisse CATULLUM et ex his locis

(1) WERNSDORF *Poët Lat. Min.* T. IV, pag. 41—48, 276.
(2) WEICHERT l. l. pag. 64 adnot. 56.

apparet, et in scholiis adnotatur. Priori loco nobiles a poëta culpantur, quod mimos agere eos non pudeat, et populus,

qui sedet et spectat triscurria patriciorum.

Ad quam autem aetatem haec pertineant, conficitur e vs. 138 sq.

Res haut mira tamen citharoedo principe mimus nobilis.

Altero loco homines, qui scelesti quum sint honestos se esse simulant, mimum agere dicuntur.

De duobus mimis *Phasmate* et *Laureolo* multi JUVENALIS interpretes egerunt. GRANGAEUS dicit *Phasma* esse CATULLI mimum, ex imitatione MENANDRI (1) compositum, additque argumentum his verbis: „adolescens introductus, qui aspectu pulcrae virginis veluti „numinis visu perculsus exhorruit." DAMASIPPUS autem adolescentis partes egisse mihi videtur, qui phasma quum vidisset perculsus clamorem ederet, unde poëta addat illud *clamosum* (2). PETITUS vero dubitat an *Phasma* CATULLI mimus sit, quod nemo veterum hunc ei tribuat nisi h.l. JUVENALIS; scribit igitur per literam minusculam *phasma Catulli.* Mihi tamen idcirco *Phasma* nomen mimi esse videtur, quia *ageres* objectum requirit mimi vel fabulae, ut mox sequitur *Laureolum etiam bene egit.*

---

(1) Vid. de MENANDRI comoedia hujus nominis apud TERENTIUM *in Prologo Eunuchi* vs. 9.

(2) Vid. C. J. GRYSAR *Der Römische Mimus* pag. 21, qui refutat opinionem Scholiastae dicentis Damasippum praeconis munere in mimo functum esse.

Sed etiamsi nullibi alias memoretur CATULLI *Phasma*, causa non esse videtur quod JUVENALI fidem denegemus. Negat tamen GRYSAR CATULLUM MENANDRI *Phasma* imitatum esse, atque aliud fuisse fabulae, aliud mimi argumentum statuit (1).

Laureolum autem alii CATULLO, alii LENTULO tribuunt, sunt etiam qui NAEVIUM auctorem dicant. CATULLI nomine addito hujus mimi mentionem facit TERTULLIANUS *adv. Valentinianos* pag. 256. D. GRYSAR contra l.l. pag. 63 sqq. LENTULO tribuit, qui CALIGULA imperante (2) *mimographus* fuerit et *mimus*, quia ipse partes ageret in mimis suis, quum in *Phasmate* non ipse mimographus, sed DAMASIPPUS partes egisse dicatur. Addita autem Scholiastae verba „hic „LENTULUS nobilis fuit," GRYSAR sic accipit: „er „wahr ein sehr berühmter Acteur," et perversam vocat interpretationem eorum qui dicunt LENTULUM unum e nobilibus, qui, ut DAMASIPPUS, mimos ageret. Cujus tamen opinionem RIBBECKIUS (3) refutat dicens LENTULUM, quum *Laureolus* jam CALIGULA imperante actus sit, tempore JUVENALIS fere octogenarium fuisse atque ita velocis servi partibus satisfacere non potuisse, atque addit: „nec ullo modo probabile est de ante acto „tempore JUVENALEM in Satira verba fecisse." Quod

(1) Vid. GRYSAR l.l. pag. 66, qui e DONATO ad TERENTII *Eunuchum* argumentum MENANDRI *Phasmatis* exponit, unde apparet hanc fabulam *clamosam* vix posse vocari; quod epitheton quum JUVENALIS CATULLI mimo tribuat, imitatio MENANDRI esse non videtur, quamquam de argumento hujus mimi nullibi mentio fit.

(2) Jam CALIGULA imperante *Laureolum* mimum compositum actumque esse legimus apud SUETONIUM *in vita Calig.* cap. 57 et apud FLAVIUM JOSEPHUM Antiq. XIX 13.

(3) Vid. OTTO RIBBECK *in Comicorum Latinorum Reliquiis* pag. 309.

equidem concedere non possum, nam e vs. 198 sq. apparere mihi videtur JUVENALEM de temporibus NERONIS agere, de quo in priore hujus satirae parte saepius mentio fit. Melius tamen argumentum afferre illud mihi videtur „Nobilis autem arte potius quam genere dictus „videri LENTULUS GRYSARO nunquam potuisset, si „vel in proxime sequentes versus oculi ejus evagassent." Namque omni illo JUVENALIS loco nobiles culpantur, quos non pudeat mimos agere, ita ut indignatus exclamet vs. 199.

Haec ultra quid erit, nisi ludus?

Quam ob rem et propter TERTULLIANI testimonium, CATULLO potius quam ipsi LENTULO mimum *Laureolum* tribuendum esse judico, qui poëta a TIBERII inde temporibus ad NERONIS aetatem vixisse dicitur, nec quidquam obstare videtur quominus mimus ejus *Laureolus* CALIGULA imperante actus sit. De argumento autem hujus mimi legimus apud FLAVIUM JOSEPHUM l.l.: *Λαυρέολος μῖμος εἰσάγεται, καθ'ὃν σταυροῦται ληφθεὶς* (I) *ἡγεμών*. Idem fere dicitur in Scholiis hoc modo: „Hic „LENTULUS nobilis fuit et suscepit servi personam in „agendo mimo et deprehensus in falso cruci fixus est." Hoc non convenit cum verbis poëtae *Laureolum velox etiam bene Lentulus egit*, unde conficitur eum saepius periculum effugisse, sed postremo deprehensum poenas dedisse (2). Jam in ipsa scena LAUREOLUS cruci affixus est, de qua re legimus apud SUETONIUM *in vita Calig.* cap. 57: „et cum in *Laureolo* mimo, in qua

(1) Sic legit GRYSAR l.l. sed apud RIBBECKIUM melius, ut mihi videtur, legimus *λῃστῶν*.

(2) De LAUREOLI poena loquitur quoque MARTIALIS *de Spectac.* VII.

„actor proripiens se ruina sanguinem vomit, plures se-„cundarum certatim experimentum artis darent, cruore „scena abundavit." Multo indignius etiam spectaculum DOMITIANUS populo praebuit, cujus jussu latronem, capite damnatum, LAUREOLI partes egisse legimus, quem postremo revera cruci affigendum curavit, quum praeterea ursus in eum immitteretur, ut legimus apud MARTIALEM l. l. vs. 3 sqq.

Nuda Caledonio sic pectora praebuit urso,
non falsa pendens in cruce Laureolus.
Vivebant laceri membris stillantibus artus,
inque omni nusquam corpore corpus erat.

Alium CATULLI mimum indicari judicant GRYSAR et RIBBECK in JUVENALIS Sat. XIII vs. 111.

. . . . . mimum agit ille,
urbani qualem fugitivus scurra Catulli.

quem locum HEINRICHIUS ita vertit: „er spielt seine Heuchlerrolle wie der schurkische Knecht in Catull's Mimus," et dicit haec de *Laureolo* esse intelligenda, cui interpretationi non assentitur GRYSAR, qui hanc fabulam vocandam censet „*Servum fugitivum*". Hac de re legitur Scholion apud CRAMERUM (1). et in editione HENNINII: „CATULLI. Q LUTATIUM CATULLUM dicit, „qui VORANUM servum furacissimum habuisse fertur, „de quo hic posterius: *scurra Catulli.* De quo etiam „illud traditur, cum deprehensus a nummulario esset, „cujus de mensa nummos subtractos in calceos sibi „inferciverat, quidam jocans in eum, *Belle*, inquit, *si te*

(1) Vid. D. A. G. CRAMER *In D. Junii Juvenalis Satiras Commentarii vetusti* pag. 339.

„nummularius in jus vocat, tu ei aes ablatum ex calceo „abjiceres." At CRAMERUS adnotat, in hoc Scholio CATULUM et CATULLUM confusos esse; VORANUS enim fuit Q. LUTATII CATULI libertus, de quo videatur HORAT. *Sat.* Lib. I, VIII 39. Lecto HORATII loco et cum CRAMERI argumentis collato, affirmare ausim, haec ad CATULUM pertinere, nec vero ad CATULLUM mimographum, de quo in JUVENALIS Satira agitur. Quod tamen fuerit argumentum mimi in Sat. XIII memorati, ex his verbis Scholiastae aliquatenus saltem confici posse mihi videtur: „talis est enim mimus, ubi „servus fugitivus dominum suum trahit."

De nomine inter se differunt interpretes, utrum CATULUS an CATULLUS dicendus sit. His quidem assentior, quum et in Satiris semper CATULLUS vocetur et apud MARTIALEM Libr. V ep. XXX vs. 3 legatur.

> Differ opus, nec te facundi scena Catulli
> detineat, cultis aut elegia comis cet.

et Libr. XII ep. LXXXIII.

> Derisor Fabianus herniarum
> omnes quem modo colei timebant
> dicentem tumidas in hydrocelas,
> quantum nec duo dicerent Catulli cet.

Scribendum igitur videtur Q LUTATIUS CATULLUS, (1) cui cognomen ab interpretibus additum invenimus *Urbicarium* vel *Mimographum.* De Veronensi autem illo CATULLO cogitare et aetatis ratio vetat et vero diversissimum poëseos genus. Vixisse videtur CATULLUS

(1) RIBBECK scribit Q. LUCTATIUS CATULLUS, argumentis tamen non additis.

Mimographus TIBERIO, CLAUDIO, NERONE imperantibus, atque ita non multo ante JUVENALEM fuisse. Mimographus quidem fuit, nec vero in mimis suis ipse partes egisse videtur, vel propterea quod a JUVENALE nobiles memorantur, qui in ejus mimis primas agerent, nec probabile quidem est ipsum auctorem secundas vel tertias partes egisse. RUPERTI ad Sat. VIII vs. 186 laudat GELLII locum e Libro XIX cap. IX: 10, non recte, ut mihi videtur. Legimus enim illic quidem versus cujusdam Q. CATULI e fabula quadam desumtos, quae tamen, ut mihi videtur, non est CATULLI nostri mimographi, quia GELLIUS eo loco mentionem facit de *priorum temporum* poëtis, quod conficitur e § 9. „Sed „ne nos, id est nomen Latinum, tanquam profecto vastos „quosdam et insubidos, ἀναφροδισίας condempnetis.... „et audite ac discite, nostros quoque antiquiores ante „eos, quos nominastis, poëtas amasios ac venerios fuisse." Commemorantur autem in prioribus paragraphis ANACREON ceterique id genus poëtae Graeci.

In Sat. XII JUVENALIS agit de CATULLO quodam, e naufragio servato, quem tamen eundem esse ac mimographum nostrum haud crediderim, quia CATULLUS in hac Satira ditissimus esse dicitur et amicus sodalisque JUVENALIS esse videtur, cujus salute poëta magno afficitur gaudio. Poëtae autem illius temporis, teste ipso JUVENALE, maximam partem pauperes fuerunt, excepto quidem LUCANO; praeterea CATULLUS, quod supra demonstrare conatus sum, ante JUVENALEM vixisse videtur.

Alios praeterea in Satiras poëtas enumeratos videmus, quos minus notos quamvis et minoris pretii, tamen existimo silentio praetermittendos non esse.

De CORDI *Theseide* fit mentio Sat. I vs. 2, ubi raucus ille vocatur. SERVIUS tamen in adnotatione ad VERGIL. *Aeneid.* Lib. I initio, hoc JUVENALIS loco collato legit *Theseide Codri*, quod utrum de industria faciat an negligenter, ut cum CODRO VERGILII aequale illum confuderit, incertum. Poëtam certe illius nominis VERGILII tempore vixisse conficimus ex iis, quae KEILIUS scripsit in *Museo Rhenano* de *Scholiis Veronensibus* ad VERGILIUM (1). Confert autem VERG. *Eclog.* VII 22 ubi legimus:

> Nymphae, noster amor, Libethrides, aut mihi carmen
> quale meo Codro, concedite; proxima Phoebi
> versibus ille facit cet.

ad quae verba scholion addit: „*quale meo Codro.* CO„DRUM plerique VERGILIUM accipiunt, alii CORNIFICIUM, „nonnulli HELVIUM CINNAM putant, de quo bene sentit. „Similiter autem hunc CODRUM in elegiis VALGIUS ho„norifice cet..... et quadam in ecloga de eo ait cet." Sequitur deinde carmen VALGII corruptissimum, quod KEILIUS sic restituere conatus est:

> Codrus ille canit, quali tu voce canebas
> atque solet numeros dicere, Cinna, tuos,
> dulcior ut nunquam Pylio profluxerit ore
> Nestoris cet.

Negat autem KEILIUS CORNIFICIUM esse intelligendum, dicens CODRUM fuisse aequalem et amicum VERGILII et VALGII nobis ignotum. VALGII autem carminis versu penultimo nonnulli, ex BERGKII conjectura, pro *nauta* legunt *rauco*, existimantes de codem hîc

(1) Vid. *Rheinisches Museum für Philologie* VIster Jahrgang pag. 375 sqq.

poëta atque apud JUVENALEM sermonem esse, cui lectioni non favit KEILIUS, quia a VERGILIO et VALGIO ita laudetur CODRUS, ut absurdum sit VALGIUM deinde tale epitheton addidisse, quod sane vix conveniens videtur poëtae, qui tantis laudibus ab aequalibus extollitur. Quapropter SERVIUS errasse mihi videtur et de alio quodam poëta, qui JUVENALI fuerit aequalis, cogitandum esse cum BRITANNICO equidem existimo. Ceterum CORDUS hic an CODRUS dicendus sit, quemadmodum Scholiastes ad Sat. III vs. 203, ubi CODRI pauperis item poëtae misera conditio depingitur, eundem hunc esse dicit ac *Theseidis* auctorem, parum interesse puto, modo ne *raucus Codrus* cum Vergiliano et Valgiano confundatur. HEINRICHIUS autem dicit esse nomen θετικὸν et legit CODRUM, quia si CORDUM scripsisset JUVENALIS, nobilis aliquis ejusdem nominis illa aetate vivens hoc aegre ferre potuisset. At solet JUVENALIS multis locis dignos qui carpantur aequales, nobiles etiam, vero nomine notare. CORDI autem vixerunt multi imperatorum temporibus, in iis CORDUS CREMUTIUS, historicus, CAESIUS CORDUS, JULIUS CORDUS, quos TACITUS memorat. Apud MARTIALEM quoque CORDI et CODRI nomen saepius legitur; Libro V, ep. XXIII vs. 7. autem aliquem vocat *meum Cordum*, quibus verbis pauperem aequalem designat.

CLUVIENUS, malus, ut videtur, poëta, Sat. I, vs. 80 tali modo notatur:

> Si natura negat, facit indignatio versum
> qualemcunque potest, quales ego vel Cluvienus.

cujus nusquam alibi, quantum scio, nomen memoratur.

Irrisionis acerbitas quodammodo lenitur, quia JUVENALIS se ipse quoque addit.

Nec notus magis est FAUSTUS, quem malum fabularum scriptorem fuisse confici potest e Sat. VII, vs. 12, ubi traditur de *Thebis* et de *Tereo* fabulas scripsisse tam exigui pretii, ut in auctione venderentur cum omnis generis supellectili. FAUSTORUM autem nomen Romae non ignotum fuisse discimus e TACITO, apud quem CORNELIUM FAUSTUM SULLAM et ANNIUM FAUSTUM memoratos invenimus. Similis farinae fuisse videtur poëta PACCIUS, cujus *Alcithoë* eodem loco, quo FAUSTI fabulae, ridetur. Quum autem alii *Alcyonem* legunt, alii *Alcinoëm* aut *Alcinoum*, in codice Pithoeano legitur *Alcitheon Pacci*, quod RUTGERSIUS, ut videtur recte, mutavit in *Alcithoën*, cui accedit HEINRICHIUS. De argumento fabulae RUTGERSIUS dicit: „Puto autem „intelligi fabulam *Alcithoës*, quae quum pertinacius „Bacchi numen sperneret, in vespertilionem mutata est." Sunt qui pro PACCI legant BACCHI; potius tamen cum HEINRICHIO aliisque sequamur lectionem codicis Pithoeani. Neque ignotum Romae nomen fuisse docet TACITUS, qui PACCIUM AFRICANUM et PACCIUM ORFITUM memorat. PLUTARCHUS quoque PACCIO cuidam, homini Romano, commentarium misit περὶ εὐθυμίας ut HEINRICHIUS monet. In Sat. XII, vs. 99 PACCII cujusdam locupletis et orbi nomen traditur; poëtae vero PACCII nusquam alibi mentionem factam invenio.

Nil magis dicendum est de RUBRENO LAPPA, qui Sat. VII vs. 72 memoratur.

. . . . . poscimus ut sit
non minor antiquo Rubrenus Lappa cothurno,
cujus et alveolos et laenam pignerat Atreus?

Unde conficitur RUBRENAM LAPPAM fuisse malum aut saltem mediocrem poëtam tragicum, qui scripserit *Atreum* tragoediam, sed propter egestatem pignori dare coactus sit vasa et vestes. Ideo autem, ni fallor, dicit *pignerat Atreus*, quia pignerandi causa esset, quod Atreum vellet scribere.

Denique Sat. VII, vs 80 cum SALEIO BASSO conjungitur SERRANUS, pauper poëta, qui apud CRAMERUM in notis ATTILIUS SERRANUS vocatur diciturque agri paterni jugera quatuor sedulo coluisse. Idem fortasse est, qui apud MARTIALEM Libr. IV, ep. XXXVII inter obaeratos memoratur:

Centum Coranus et ducenta Mancinus,
trecenta debet Titius, hoc bis Albinus,
decies Sabinus, alterumque Serranus.

Dubitatur utrum SERRANUS an SARRANUS dicendus sit. Quae legimus apud PLINIUM H. N. Libr. XVIII, s. 20 de origine nominis SERRANORUM, nugae esse videntur. Idem Libr. XIX, s. 8 scribit. „..... qua admo„nitione succurrit, quod M. VARRO tradit, in SERRANO„RUM familia gentilicium esse feminas lintea veste non „uti." Nec tamen nomen SARRANUS sive SARANUS Romae ignotum erat; fuit enim cognomen M. ATILII REGULI, quod primus ille accepit, quia Poenos (1) vicisset, posterisque suis reliquit. Quia autem poëta de quo agimus a CRAMERO, ut vidimus, dicitur ATTILIUS SERRANUS,

(1) Tyrus autem, unde Poeni oriundi sunt, *Sarra* sive *Sara* erat, cujus nominis vestigium superest in *tibiis Sarranis*, quibus utebantur Romani.

probabile est eum fuisse unum e posteris M. Atilii Reguli, atque igitur Sarranum potius quam Serranum esse dicendum.

Haec habui, quae de poëtis dicerem; jam transeamus ad philosophos.

---

§ 2 DE PHILOSOPHIS.

Ex hoc doctorum genere vix quisquam in Satiris de industria tractatur. Nam qui multis locis honoris vel exempli causa memorantur veteres philosophorum principes (1), eos vix JUVENALIS πρόσωπα dicenda esse nemo facile negaverit. Sed ex iis, qui hac aetate apud Romanos philosophiae studiis inclaruerunt, praeter unum SENECAM nullius apud eum mentionem factam reperio; et ne hic quidem philosophiae, sed divitiarum nomine a poëta memoratur. Quapropter huic uni duos viros adjungere mihi in animo est, qui philosophi quidem proprio nomine dicendi non sunt, sed quorum studia tamen ad philosophiam proxime accedere videntur, THRASYLLUM et PETOSIRIN, mathematicos.

L. ANNAEUS SENECA Cordubae natus patre M. ANNAEO SENECA, sub imperio CLAUDII et, cujus praecep-

(1) Sic enim Sat. II, vs. 6 sqq. loquitur de imaginibus PITTACI, ARISTOTELIS, aliorum, et Sat. X, vs. 34 de DEMOCRITO semper ridente.

tor fuit, NERONIS, Romae vixit, philosophiae et eloquentiae operam dedit, ac multa scripta reliquit. De ejus vita, morte, scriptis permulta leguntur in TACITI *Annalibus*, apud SUETONIUM et DIONEM CASSIUM, quae tamen ita omnibus nota esse existimo, ut non opus esse videatur de eo accuratius exponere, quum praesertim JUSTUS LIPSIUS in editione sua operum SENECAE longa et accurata disputatione de eo egerit, cui praemittitur judicium de ejus scriptis. Ad hoc igitur opus relegatos volo qui plura de illo philosopho cognoscere cupiant; inspiciant praeterea quaecunque recentiorum autorum scripta de SENECA egerunt. Nos ea tantum attingamus, quae in Satiris de eo memorata invenimus. Nusquam autem, ut diximus, de philosophicis ejus studiis apud JUVENALEM mentio fit; sed ut probus et honestus vir scelesto et nefario NERONI opponitur Sat. VIII, vs. 212 et duobus locis, Sat. V, vs. 100 et Sat. X, vs. 16 de ejus divitiis sermo est. Hoc enim loco legimus:

> Temporibus diris igitur jussuque Neronis
> Longinum et magnos Senecae praedivitis hortos
> clausit cet.

qua de re cf. TACIT. *Annal.* Lib XV, cap. LX: „illo „propinqua vespera tribunus venit et villam globis mi„litum saepsit" cet. Pauca videamus de verbis *Longinum — clausit*, quae lectio non omnibus placuit. HEINRICHIUS retinet quidem lectionem *Longinum*, sed locum aliter interpretatur ac ceteri interpretes, quorum plerique de morte LONGINI agi existimant, quum is contra judicat de ejus exsilio in Sardiniam sermonem esse, ita ut *Longinum — clausit* significet *eum inclu-*

sit in insulam Sardiniam, quae verborum explicatio nimis arguta esse mihi videtur, quamquam de re ipsa HEINRICHIO assentior; in TACITI enim *Annal.* Lib. XVI, cap. IX, quem locum ad opinionem suam probandam confert, legimus CASSIUM LONGINUM in Sardiniam deportatum esse. RUPERTI autem conjectura *Longini* non necessaria est, si *Longinum clausit* explicamus *Longini aedes clausit*, quae interpretatio confirmari videtur loco Vergiliano ex *Aeneid* Libr. II, vs. 311 sq.

. . . . . jam proxumus ardet
Ucalegon cet.

JUVENALIS igitur l. l. de SENECA et de LONGINO idem fere dicit, eorum aedes a custodibus esse circumdatas, qui eos effugere passi non sunt.

SENECAM jure *praedivitem* a JUVENALE appellari aliorum scriptorum testimoniis confirmatur. Legimus enim apud TACITUM *Annal.* Libr. XIII, cap. XLII PUBLIUM SUILLIUM multa in SENECAM maledicta edidisse, atque in aliis illa: „qua sapientia, quibus philosophorum praeceptis intra quadriennium regiae amicitiae, ter milies sestertium paravisset?" Quibus sermonibus ad SENECAM delatis, ejus opera maxime SUILLIUM reum factum civitate pulsum esse. Post mortem BURRI SENECA minore apud NERONEM coepit esse auctoritate, quam fuerat antea, atque etiam, ut legimus apud TACIT. *Annal.* Lib. XV, cap. LII, nonnulli criminibus eum adoriri ausi sunt: „tamquam ingentes et privatum modum evectas opes adhuc augeret, quodque studia civium in se verteret, hortorum quoque amoenitate et villarum magnificentia quasi principem supergrederetur." SENECA vero se

defendit oratione ad Caesarem habita, quam legimus apud TACITUM l. l. cap. LIII, ubi de divitiis suis sic loquitur: „medio temporis tantum honorum atque opum „in me cumulasti, ut nihil felicitati meae desit nisi „moderatio ejus." In eadem porro oratione illa dicit: „at tu gratiam immensam, innumeram pecuniam cir„cumdedisti, adeo ut plerumque intra me ipse volvam.... „ubi est animus ille modicis contentus? talis hortos ex„struit, et per haec suburbana incedit, et tantis agrorum „spatiis, tam lato fenore exuberat? cet." NERO ei respondit oratione, quae apud TACIT. est in cap. LV, ubi in aliis legimus: „quae a me habes, horti et fenus et „villae, casibus obnoxia sunt." Ipse quoque SENECA in scriptis suis nonnumquam de opibus suis, de villis loquitur, qua de re cf. LIPSII disputationis laudatae cap. VI. Divitiarum ejus mentio etiam fit apud DIONEM Libr. LXII initio, ubi dicitur SENECA magnis usuris pecuniam credidisse Britannorum primariis, scilicet χιλίας μυριάδας. Denique apud MARTIALEM legimus Libr. IV, ep. XL.

Et docti Senecae ter numeranda domus.

In Commentariis ad Satiras JUVENALIS a CRAMERO editis, ad Sat. V, vs. 109 satis longum Scholion legimus, ubi nonnulla de SENECAE vita et morte enarrantur, quae tamen ex TACITO satis superque cognosci possunt. Eum in mortis discrimine philosophicis suis praeceptis dignum se praestitisse, in Scholio laudato talibus verbis exponitur: „Hic interritus, amicorum animos, „quibus jam ejus casus lacrimas exciverat, ad firmitu„dinem revocavit, rogitans: Ubi praecepta sapientiae? „ubi tot per annos meditata ratio adversus imminentia?"

THRASYLLUM obiter JUVENALIS memorat Sat. VI, vs. 576.

Illius occursus etiam vitare memento
. . . . . .
. . . . . quae nullum consulit et jam
consulitur, quae castra viro patriamque petente
non ibit pariter numeris revocata Thrasylli.

Hoc loco mulieres perstringuntur, quae mathematicorum i. e. astrologorum aliorumque ejus generis artibus confisae nimiam eorum effatis fidem habeant seque ab his decipi patiantur. Simul JUVENALIS ipsas artes eosque, qui eas profitentur, carpere mihi videtur, atque in iis etiam THRASYLLUM, de quo legimus in Scholiis ad l. l.: „THRASILLUS multarum artium scientiam pro„fessus, postremo se dedit Platonicae sectae ac deinde „mathesi, in qua praecipue viguit apud TIBERIUM cet." Hujus autem familiaris quum forte apud AUGUSTUM coenaretur, paucis ante ejus mortem diebus, ut legimus apud SUETONIUM in vita AUGUSTI cap XCVIII, imperator cum mathematico sermonem habuisse dicitur jocosum. Quum enim AUGUSTUS ex tempore versus fecisset in honorem MASGABAE cujusdam, quem SUETONIUS unum ex ejus dilectis vocat, THRASYLLUM interrogavit cujusnam poëtae hi versus essent, qui satis lepide respondisse narratur, cujuscumque essent, optimos esse. Arcte autem conjunctum eum fuisse cum TIBERIO a SUETONIO et TACITO docemur. TIBERIUM enim quum in insula Rhodo exsularet, ejus artem expertum esse legimus apud TACITUM *Annal.* Libr. VI, cap. XXVI (XX) sq. et in SUETONII vita TIBERII cap. XIV, qui narrant THRASYLLUM paene a

Tiberio in mare praecipitatum fuisse. Tacitus, qui accuratius rem exponit, Thrasyllum periculum effugisse tradit, quia mortem a Tiberio sibi imminentem praeviderit; qua re commotum Tiberium ejus arti fidem habuisse, incolumitatem ei promisisse, quin etiam inter familiares eum habuisse. Quum postea imperator iste Capreis in multos saeviret, Thrasyllum ei adfuit, qui quum jam Tiberius aegrotaret, longiorem vitam vaticinando nonnullorum supplicium distulit, ut narrat Suetonius l. l. cap. LXII. In ejusdem vita Caligulae, cap. XIX memoratur dictum Thrasylli de successore Tiberii his verbis: „Non magis Cajum imperaturum „quam per Bajanum sinum equis discursurum." Quod vaticinium a Cajo Caligula ita solutum est, ut et imperator sit factus et in eo sinu pontem fecerit.

Thrasylli praeterea mentionem facit Dio Libr. LV pag. 555 sq. idem fere narrans de Tiberii consilio in insula Rhodo eum interficiendi, hujus rei causam addens: *ἐπειδή μόνος αὐτῷ πάνθ' ὅσα ἐνενόει συνῄδει.* Idem commemorat, quod item apud Suetonium legimus, eum Tiberio praedixisse, mox hunc Rhodo Romam revocatum iri; illud autem fecisse quum navis jam in conspectu esset, quo veheretur, qui reditus nuntium ei esset allaturus. Idem Libr. LVIII sub fin. de ejus cum Tiberio consuetudine in insula Capreis idem fere narrat quod Suetonius, additque Thrasyllum mortuum esse A. U. 790, Tiberium autem anno insequenti, medicis non consultis, quia fidem haberet illius praedictioni, decem adhuc annos se victurum esse. Thrasylli filius memoratur a Tacito *Annal.* Libr. VI, cap. XXVIII (XXII), qui fertur Neronis imperium praedixisse. Plinius quoque in *Hist. Nat.* quater Thrasyllum laudat,

qui libros scripserit de re medica, aut de naturali historia. Utrum autem hic idem sit ac noster, an alius ejusdem nominis, nullis certis indiciis confirmatum invenio.

Jam de PETOSIRI legimus Sat. VI vs. 581:

> Aegra licet jaceat, capiendo nulla videtur
> aptior hora cibo, nisi quam dederit Petosiris.

E quibus versibus non constat quo tempore vixerit PETOSIRIS: quem quamvis JUVENALIS aequalem non fuisse infra demonstrare sim conaturus, h. l. tamen de eo agere mihi visum est, quia praeter THRASYLLUM unus ille mathematicus est sive astrologus, cujus in Satiris mentio fit. Ita ut, nisi cum illo hunc conjungerem, tota deinde huic uni paragraphus dicanda foret. In scholiis PETOSIRIS „alter auctor artis mathematices" dicitur. Quod autem JUVENALIS his versibus carpit, idem legitur etiam apud PLINIUM *Hist. Nat.* Lib. XXIX, s. 5 § 9: „..... cum CRINAS Massiliensis arte geminata, „ut cautior religiosiorque, ad siderum motus ex ephemeride mathematica cibos dando horasque observando auctoritate eum praecessit cet." Eidem cui CRINAM arti PETOSIRIN deditum fuisse, facile concedetur locis PLINII et JUVENALIS collatis, in quibus eadem fere narrantur. PETOSIRIS autem, ut ex forma nominis conficitur, Aegyptius fuit, quod etiam suspicari licet ex ATHENAEI loco e Libr. III, 81 ubi dicit: *Αἰγύπτιοι δὲ τὸν ὑποξίζοντα ἄρτον κυλλάστιν καλοῦσιν. μνημονεύει δ'αὐτοῦ Ἀριστοφάνης ἐν Δαναΐσι:*

καὶ τὸν κυλλάστιν φθέγγου καὶ τὸν Πετόσιριν.

Inde apparet diu ante imperatoriam aetatem PETOSIRIN quemdam vixisse Aegyptium, quamquam ex hoc versu non constat utrum de mathematico nostro sermo sit nec ne. Legitur praeterea PETOSIRIS nomen apud PLINIUM *Nat. Hist.* Libr. II, cap. XXIII s. 21: „Aegyptia ratio, quam PETOSIRIS et NECHEPSOS osten„dere, singulas partis in lunari circulo, ut dictum „est, minumo triginta tribus stadiis paulo amplius patere „colligit cet.", et Libr. VII, cap. XLIX s. 50: „Durat et ea ratio quam PETOSIRIS ac NECHEPSOS „tradidere cet." Ad hos PLINII locos respiciunt quae leguntur in Notis Variorum: „Hic enim et NECEPSO [S] „erant auctores τῆς κλιμακτηρικῆς ἀγωγῆς i. e. artis „illae (sic), quae ex climacteriorum annorum enumera„tione, habita simul siderum ratione exponit, quid cui„libet nato contingere possit. Hic ipse est PETOSIRIS, „cujus PTOLEMAEUS sub Ἀρχαίου nomine meminit ali„quoties, vide SALMAS. *de Ann. Clim.* pag 76 et 353." Etiam h. l. inprimis propter nomen Ἀρχαίου de superioris aetatis viro agi mihi videtur. PETOSIRIS a SUIDA philosophus vocatur et Aegyptius, qui eum scripsisse tradit: καθά Ἕλληνες καὶ Αἰγύπτιοι τάς περὶ θεῶν διετάξαντο. Ἐπιλογάς ἐκ τῶν ἱερῶν βιβλίων. Ἀστρολογούμενα καὶ περὶ τῶν παρ' Αἰγυπτίοις μυστηρίων. PETOSIRIS astrologi nomen memoratur quoque in *Anthologia Graeca*, ubi est epigramma LUCILLII Libr. II, Tit. VI 3.

Εἶπεν ἐληλυθέναι τό πεπρωμένον, αὐτός ἑαυτοῦ
τὴν γένεσιν διαθεὶς Αἶλος ὁ ἀστρόλογος,
καὶ ζήσειν ὥρας ἔτι τέσσαρας· ὡς δὲ παρῆλθεν
ἡ πέμπτη, καὶ ζῆν εἰδότα μηδὲν ἔδει,
αἰσχυνθεὶς Πετόσιριν, ἀπήγξατο· καὶ μετέωρος
θνήσκει μέν, θνήσκει δ' οὐδὲν ἐπιστάμενος.

Denique illud nomen legitur apud LYDUM *de Ostentis* (1), qui de eo sic loquitur: *τούτων [γάρ δὴ μετὰ]* (2) *Ζωροάστρην τὸν πολύν, Πετόσιρις τοῖς ἰδιοῖς* (3) *τά [ἐν γένει διαπλέ]ξας* (4), *πολλά μὲν κατ' αὐτὸν παραδοῦναι βιάζεται· οὐ πᾶ[σι δὲ παρα]δίδωσι ταῦτα, μόνοις δὲ τοῖς καθ'αὐτῶν, μᾶλλον δὲ ὅσοι καὶ [αὐτῶν* (5) *π]ρὸς στοχάσμους ἐπιτηδειότεροι.*

His locis collatis statuendum esse videtur PETOSIRIN quemdam mathematicum diu ante JUVENALEM vixisse, qui ejus nomine usus esse videatur pro quovis clarissimo mathematico.

Missis igitur philosophis, ad aliud doctorum genus transeamus, qui majores quidem in Satiris partes agunt.

---

(1) In editione HASII pag. 4.

(2) Num fortasse legendum est *πρῶτος μετὰ?*

(3) Potius legendum esse videtur *ἰδιοῖς*, *propriis*, ut in Cod. est.

(4) Nonne potius supplendum esset: *τὰ[λλοτρία ἐμπλέ]ξας*, ita ut *τὰ ἀλλοτρία* opponatur *τοῖς ἰδιοῖς?*

(5) Legendum videtur *αὐτοὶ*.

---

§ 3. DE JURISCONSULTIS ET CAUSIDICIS.

Jurisprudentia Romana, quae per omnia secula summis laudibus celebrata est ob magnum usum, quem generi humano, vel omnibus certe cultis gentibus attulit, optimo jure has laudes meruisse videtur. Imperatoria inprimis aetate multi iique praestantissimi juris periti Romae viguerunt, et quanta in *Digestis* clarissimorum jurisconsultorum series legitur, in celeberrima illa, ut ita dicam, anthologia juridica. Cui ignota esse possunt nomina *Sabinianorum* et *Proculianorum*, qui diversam disciplinam secuti, mirum quantum juris scientiam promoverunt, de quibusvis quaestionibus in utramque partem disputando suisque operibus in lucem edendis. Quae quum ita sint, a poëta tamen tristis nobis proponitur jurisprudentiae imago, et plerique, quos memorat, jurisconsulti vehementer ab eo perstringuntur ut nullius fere pretii et contemtu digni, homines ceteroquin parum noti: duo tantum ab eo memorantur, qui

aliunde etiam satis cogniti sunt, Cassius Longinus et Pegasus. Quod quominus mirum possit videri, animadvertendum est, omnes fere, qui ab eo notantur jurisconsulti, sub Nerone et Domitiano vixisse, qui quum in omnes probos, libertatis inprimis studio imbutos, saevirent, ne libere quidem dicendi facultas jurisconsultis relicta est et linguae favere cogebantur, metu ne, quod Cassii exemplo docemur, suppliciis afficerentur. Quare Pegasus, peritus sine dubio jurisconsultus, qui tamen servili modo Domitiani jussis paruisse videtur, merito a Juvenale culpatur. Clarissimorum igitur juris peritorum, qui inde ab Augusti tempore usque ad Juvenalis aetatem vixerunt, nomina frustra in Satiris quaeremus; poëta enim in animo habebat vitia sui temporis vividis coloribus depingere, nec nisi raro virum laude dignum improbo et culpando homini opponit, quo magis hujus vitia eluceant. Sic Cassius Longinus, sic Seneca, ut jam vidimus, sic pauci alii viri honesti et integri Neroni opponuntur, qui crudeliter in eos animadvertit. Plerique autem, de quibus agit Juvenalis, jurisconsulti paupertate miseri, vanitate ridiculi, delatione infames fuerunt.

C. Cassii Longini mentionem facit Juvenalis, sed obiter tantum Sat. X, vs. 16:

> Temporibus diris igitur jussuque Neronis
> Longinum et magnos Senecae praedivitis hortos
> clausit, et egregias Lateranorum obsidet aedes
> tota cohors cet.

Quomodo diviti Senecae a Nerone arbitrium mor-

tis sit datum, supra vidimus. Idem in LONGINUM, nobilem et divitem, saeviit, de quo jam verbo dictum est supra, eumque exsilio multavit, qua de re infra videbimus (1). De hoc igitur, cujus apud varios scriptores saepe mentio fit, paulo accuratius exponamus. In titulo autem II Libr. I *Digestorum* natum eum esse legimus e filia TUBERONIS, quae neptis SERVII SULPICII dicitur (2). Fuit autem tam egregius juris peritus, ut *Sabiniani*, quorum scholae sectator erat, ab eo *Cassiani* vocari maluerint, ut conficitur in aliis ex *epistolis Plinianis* Libr. VII ep. XXIV § 18: „C. CASSII hujus qui „Cassianae scholae princeps et parens fuit cet." CASSII nomen saepius in *Digestis* invenitur, ubi scripsisse dicitur magnum opus de *Jure civili*, quod a JAVOLENO in *Digestis* vocatur *Libri s. Commentarii Gaji* (scil. *Cassii*), cujus operis idem JAVOLENUS epitomen dedit quindecim libris, quum CASSII discipulus ARISTO commentarios in magistri librum edidisse dicitur. Praeterea CASSII adnotationes sive commentarii in VITELLIUM et URSEIUM FEROCEM in *Digestis* memorantur.

Sed praeter jurisprudentiae laudes muneribus quoque publicis fungendis de patria bene meritus est. Neque tamen hic C. CASSIUS LONGINUS confundendus est cum CAESARIS illo percussore, qui *in vita Caesaris* aliisque locis a SUETONIO memoratur, tum etiam *in vita Neronis* cap. XXXVII, ubi et de CASSIO CAESARIS percussore, et de CASSIO LONGINO, jurisconsulto, mentio fit.

---

(1) De l.l. JUVENALIS cf. quae diximus pag. 28, ubi de SENECA ageremus. De CASSIO LONGINO cff. PUCHTA *Cursus der Institutionen* I § 99, pag. 453, et RUDORFF *Röm. Rechtsgesch.* I pag. 169 sq.

(2) Temporum ratione habita conjici posse mihi videtur h. l. agi de AELIO illo TUBERONE, qui adolescens LIGARIUM accusavit.

Domitius autem Calderinus ad l.l. Juvenalis in adnotatione dicit: „Cassius Longinus Ictus, cui Dru„sillam collocatam imperator Caligula abduxit cet." Cui adversatur Suetonius *in vita Caligulae*, ubi cap. XXIV hunc Lucium Cassium Longinum fuisse dicit, eundemque postea proconsulem Asiae Caligulam occidi jussisse tradit cap. LVII. Cum Calderino tamen facit locus Dionis e Libr. LIX s. f., qui narrat C. Cassium, Asiae praefectum, Caligulae suspectum fuisse. Tacitus vero *Annal.* Libr. VI, cap. XV narrat Tiberium L. Cassio Drusillam conjunxisse, et cap. XLV inter quatuor Tiberii *progeneros* Cassium Longinum nominat. In Saxi *Onom.* I, 212 C. Cassius Longinus consul fuisse dicitur cum M. Vinicio Quartino s. Surdino A. U. 783 (A. D. 29) et in *Digestis* Libr. I, Tit. II, l. 2 § 47 Caji quoque nomen legitur (1). Tacitus autem l.l. Lucium Cassium Longinum, M. Vinicium, utrumque Tiberii progenerum, A. U. 783 consules fuisse tradit. Calderinus igitur auctoritate Dionis et *Digestorum* Cajum hujus anni consulem fuisse et Drusillam duxisse affirmat: mihi vero, Tacito et Suetonio auctoribus, non de Cajo sed de Lucio haec dicenda esse videntur, quorum auctoritatem pluris faciendam esse existimo quam Dionis et *Digestorum.*

Revertamur jam ad C. Cassium jurisconsultum ac videamus quid Tacitus de eo memoraverit. Narrat autem eum, imperante Claudio, Syriae praefuisse, et Parthos eo tempore legatos Romam misisse, qui Me-

(1) Apud Plinium *Hist. Nat.* Libr. VII, cap. IV et apud Gellium *N. A.* Libr. IX, cap. IV, § 15 legimus P. Licinio Crasso C. Cassio Longino Coss. Casini puerum factum esse ex virgine. Hoc tamen nihil refert ad Cassium, de quo nunc agimus.

HERDATEN regem expeterent, quia abalienati essent a rege GOTARZE propter ejus saevitiam et luxum. Quorum precibus exauditis CLAUDIUM Syriae praefectum jussisse MEHERDATEN ad ripam Euphratis ducere. *Annal. Lib. XII, cap. XI* TACITUS eundem magis peritia legum, quam re militari clarum fuisse dicit, quamquam non dubitat his verbis eum laudare: „ac tamen „quantum sine bello dabatur, revocare primum mo„rem, exercitare legiones, cura provisa perinde agere „ac si hostis ingrueret: ita dignum majoribus suis cet." Rem tamen sibi mandatam ad exitum perducere non potuit; MEHERDATES enim dolo et fraude captus adversario GOTARZI traditus est. Ejusdem Syriae praefecti mentionem facit quoque FLAVIUS JOSEPHUS in Antiq. Jud. Lib. XX, 1. Quum deinde, imperante NERONE, Romam nuntius allatus esset, CORBULONEM Artaxata, caput Armeniae, delevisse, ut tradit TACITUS *Annal* Libr. XIII cap. XLI, senatus tanto gaudio affectus est, ut quibusvis honoribus NERONEM donaret et in aliis decerneret: „ut inter festos referretur dies quo „patrata victoria, quo nuntiata, quo relatum de ea esset." Cui rei CASSIUS, qui tamen ceteris ad NERONEM delatis honoribus assentiebatur, se opposuit, hoc argumento usus: „si pro benignitate fortunae dis grates agerentur, ne totum quidem annum supplicationibus sufficere, „eoque oportere dividi sacros et negotiosos dies, quis „divina colerent et humana non impedirent." Eadem constantia brevi post usus est, quum munus ei injunctum esset seditionis Puteolanorum sedandae. Qui quum nimiam ejus severitatem ferre non possent, ipsius rogatu ad SCRIBONIOS fratres ea cura translata est. CASSIUM semper in senatu solitum fuisse libere sententiam suam

proferre, alio etiam exemplo docet TACITUS *Annal* Libr. XIV, cap. XLIII. Praefecto enim urbis PEDANIO SECUNDO ab uno e suis servis occiso, more majorum tota familia ad mortem erat ducenda. Plebs tamen ad seditionem usque innoxios defendit, et in ipso senatu multi nimiam improbarunt severitatem. Plures tamen secundum morem majorum agendum esse censuerunt, in quibus CASSIUS, qui tunc orationem habuit de servis. In cujus orationis exordio causas exponit cur non semper se opposuerit decretis, quae contra instituta et leges majorum esse judicaret, dicens: „neque sum adversatus, „non quia dubitarem super omnibus negotiis melius „atque rectius olim provisum esse et, quae converte„rentur, deterius mutari, sed ne nimio amore antiqui „moris studium meum extollere viderer. Simul, quic„quid hoc in nobis auctoritatis est, crebris contradic„tionibus destruendum non existimabam, ut maneret „integrum, si quando respublica consiliis eguisset." Postquam sic magna cum sinceritate et prudentia rationem suam exposuit, transit ad causam, quae tunc in senatu agebatur. Suasit ut supplicium sumerent de servis, quia hoc reipublicae utile, civibus tutum, ad metum servis injiciendum necessarium esset. Qua oratione effecit, ut ipsius sententia praevaleret et, minitante quamvis multitudine, jussu imperatoris servi ad poenam ducti sunt, magno ad vim arcendam militum praesidio addito.

Non potuit quin vir tali morum severitate, tanta constantia praeditus, NERONI invisus redderetur, praesertim quia, ut narrat TACITUS, opibus vetustis i. e. jam a majoribus acceptis, praecelleret. Quum igitur post necem POPPAEAE imperator in multos saeviret, in his

etiam fuit C. Cassius, cui primum irati imperatoris animi indicium erat, ut idem auctor narrat (1), quod Nero eum officio exsequiarum prohiberet. Legimus autem apud Suetonium crimini datum esse: „Cassio „Longino jurisconsulto, ac luminibus orbato, quod in „vetere gentili stemmate C. Cassii, percussoris Cae„saris imagines retinuisset." Idem addit Cassio et Paeto Thraseae, mori jussis, non amplius quam aliquot horarum spatium datum esse. Quae traditio neque accurata satis, nec vera omnino mihi videtur: nam Cassium non esse occisum, verum in exilium actum, apparet ex accuratiore Taciti narratione. Tum simul cum Cassio etiam L. Silanus exsilio affectus est, quum Nero in senatu voluntatem suam declarasset utrumque e republica esse removendum. Duo autem ei crimina objecerat, quod C. Cassii, percussoris Caesaris, imaginem retinuisset eique inscripsisset: „*duci partium*," quodque L. Silanum adsumsisset, „juvenem," ut dicit Tacitus *Annal.* Libr. XVI, cap. VII: „genere nobi„lem, animo praeruptum, quem novis rebus ostentaret." Qui L. Silanus, Cassii disciplina educatus (2), ejus cognatus erat; Cassii enim uxor Lepida amita erat Silani. Crimini autem dabatur Silano quod impepium affectaret et de Lepida legimus apud Tacitum *Annal.* Libr. XVI, cap. VIII: „Inducit posthac voca„bulo indicum, qui in Lepidam Cassii uxorem, Silani „amitam, incestum cum fratris filio et diros sacrorum „ritus confingerent." Senatusconsulto deinde Cassius et

(1) De Cassii accusatione et poena vid. Tacitus *Annal.* Libr. XVII, capp. VII, IX, XXII et Suetonius *in vita Neronis* cap. XXXVII.

(2) Vid. Tacitus *Annal.* Libr. XV, cap. LII.

SILANUS in exsilium aguntur; de LEPIDA imperator ipse statueret. CASSIUS LONGINUS in Sardiniam deportatus est, quo tradito TACITUS addit: „et senectus ejus ex„spectabatur," i. e. occisus non est, quia propter provectam senectutem mors ejus longe abesse non posset. SILANUS vero non ita multo post a centurione Barii, quod Apuliae municipium est, interficitur. Ex hac TACITI narratione apparere puto falsa esse, quae SUETONIUS de morte CASSII narravit; quamquam DIO CASSIUS Libr. LXII sub fin. SUETONIO assentiri videtur, dicens: „.... *καὶ ἄλλος, ὅτι τοῦ Κασσίου τοῦ τὸν Καί„σαρα ἀποκτείναντος εἰκόνα εἶχε, καὶ ἐκρίθησαν καὶ ἐφο„νεύθησαν.*" Utriusque autem scriptoris narratio brevior et inaccuratior esse mihi videtur, quam ut adducar ad TACITO fidem denegandam. Fuisse alium CASSIUM LONGINUM, quem NERO ob similem causam mori jusserit, quod RUPERTI contendit, dubitandum esse existimo; laudat enim eundem SUETONII locum, de quo supra vidimus, qui quamvis minus accurate de eodem CASSIO agere videtur, de quo TACITUS. TACITI autem locus confirmatur etiam loco *Digestorum* supra laudato, ubi legimus C. CASSIUM LONGINUM a VESPASIANO revocatum diem obiisse.

Errant igitur interpretes, quemadmodum supra demonstrare coeperam, qui JUVENALIS verba *Longinum clausit* de ejus morte accipienda esse judicant. HEINRICHIO autem assentior existimanti de ejus exsilio in Sardiniam sermonem esse, quamquam ejusdem interpretationem verborum non probo (1). CASSIUS in insulam

---

(1) Verba enim *Longinum clausit* sic interpretatur; »NERO schloss »den LONGINUS auf der Insel ein."

Sardiniam deportatus est, ut tradit TACITUS, A. U. 818, eodem anno quo SENECA et LATERANUS occisi sunt. THRASEA vero, quem SUETONIUS una cum CASSIO memorat non eodem sed sequenti anno mortem obiit, teste TACITO *Annal.* Libr. XVI, cap. XXIII sqq.

Jam transeamus ad PEGASUM, qui non minus clarus fuit jurisconsultus quam CASSIUS, sed nequaquam eadem virtute atque integritate. Vixit autem sub VESPASIANO et DOMITIANO, quibus imperantibus consulatum gessit et praefectura urbis functus est. Ejus mentionem factum invenimus in Sat. IV, ubi JUVENALIS senatores et principes civitatis perstringit, quod DOMITIANI jussis etiam in rebus minimi momenti serviliter parerent. Quum enim aliquando rhombus mira magnitudine imperatori dono datus esset, senatus convocatur, ut de pisce coquendo quasi de re magni momenti deliberetur. Magna festinatione senatores conveniunt, ac primus omnium PEGASUS, de quo ita JUVENALIS:

> . . . . . Primus, clamante Liburno:
> currite, jam sedit! rapta properabat abolla
> Pegasus, attonitae positus modo vilicus urbi.
> Anne aliud tunc praefecti? quorum optimus atque
> interpres legum sanctissimus omnia quamquam
> temporibus diris tractanda putabat inermi
> justitia cet.

Unde apparet vel optimos, in quibus praecipue PEGASUM fuisse ipse JUVENALIS affirmat, servili atque indigno modo paruisse jussis tyranni. PEGASUM ceteroquin doctissimum et laude dignum virum fuisse, cum e verbis „*interpres legum sanctissimus*," tum ex iis ap-

paret, quae in Scholiis veteribus leguntur: „PEGASUS. „Filius trierarchi ex cujus liburnae parasemo (1) no„men accepit, juris studio gloriam memoriae meruit, ut *liber* vulgo, non homo diceretur."

Fuit autem Ictus e disciplina PROCULI, post cujus mortem princeps fuit Scholae Proculianorum, ut legimus in *Digestis de Origine juris.* Muneribus etiam publicis functum esse apparet ex iis, quae in Scholiis adduntur: „Hic functus omni honore, cum provinciis „plurimis praefuisset, urbis curam administravit. Hinc „est Pegasianum Sctum." Jam sub VESPASIANO, A. D. 70 ut videtur, consul fuit suffectus (2) cum PUSIONE, quo anno auctor fuit *Scti Pegasiani*, quod quartam Falcidiam ad fideicommissa universalia produxit (3). Praefectura autem quo imperante functus sit jam indagemus.

Ridendi autem causa JUVENALIS *vilicum urbis* eum vocat, quae verba Scholiastes in editione CRAMERI sic explicat: „Eleganter sub NERONE urbis praefecturam „jacuisse dicit, quasi scilicet urbs ipsa jam tum esset „villa principis. Et de vil(l)ico urbano Sat. III."

---

(1) In Commentariis a Cramero editis legitur: »*Liburnae parasia.*" *Parasemo* est emendatio SALMASII *ad Solin.* cap. XXXIV. Auctore PITHOEO παράσημον Latine vocatur *tutela*; quod tamen ei non assentior; *tutela* enim est signum dei, sub cujus tutela erat navis, quodque conspiciebatur in puppi. παράσημον vero Latine est *insigne*, quod erat in prora, a quo navis nomen habebat. Navi igitur PEGASI patris *insigne* fuit Pegasus, notissimus ille equus alatus.

(2) Vid. GAJUS *Inst.* I, 31 et II, 254.

(3) Vid. *Istit.* II, Tit. XXIII § 5. In CRAMERI opere laudato finis Scholii sic legitur: »Pegasianum, scilicet jus, quod juris peritus fuerat;" ubi vide longam adnotationem, qua disputatur de variis hujus Scholii lectionibus. Jus Pegasianum memorat quoque FABRICIUS *Biblioth. Lat.* T. III, pag. 490.

Quod legimus in Scholiis NERONIS nomen, de ipso NERONE dictum esse vix potest, sed intelligendum esse videtur de DOMITIANO, qui vs. 38 ejusdem Satirae *calvus Nero* vocatur. Hinc igitur non sine causa confeceris PEGASUM DOMITIANO imperante praefectura esse functum. FABRICIUS tamen in *Bibl. Lat. Tom.* III pag. 490 dicit VESPASIANO imperante eum fuisse praefectum urbi, quod legitur quoque in *Digestis de Origine Juris* et a jurisconsultis affirmatur (1). HEINRICHIUS autem in nota ad suam editionem hoc negat, argumento usus, quod apud JUVENALEM scribatur *positus modo*, addito BRISSONII testimonio, qui suspicatur PEGASUM bis praefectum urbi fuisse (2). Sententia vero HEINRICHII est, in *Digestis* minus recte VESPASIANI nomen scriptum esse pro DOMITIANO. Quod si verum sit, jurisconsultorum et FABRICII testimonia minoris sint pretii, qui ex auctoritate *Digestorum* illud scribant. At HEINRICHIUS certis argumentis opinionem suam non firmavit. In primis autem inspiciendus est CORSINII liber *de Praefectis Urbis*, qui pag. 47 statuit eum et VESPASIANI et DOMITIANI temporibus hoc munere functum esse; illud enim e l. l. Digestorum conficit, ubi legimus: „PROCULO successit PEGASUS, qui temporibus „VESPASIANI Praefectus Urbi fuit:" hoc autem affirmat teste JUVENALE. Deinde vero rem ita exponit, PEGASUM A. U. 833 (A. D. 80), VESPASIANO imperante, Urbi praefectum fuisse, sub TITO et primis DOMITIANI annis in illo munere mansisse ad A. U. 838 (A. D. 85), quo anno CAJUS RUTILIUS GALLICUS in praefectura

(1) cf. PUCHTA *Cursus der Institutionen* I § 100.
(2) Idem affirmat HEINECCIUS in *Historia Juris*.

Pegaso successerit. In hac Corsinii sententia acquiescere possumus, dummodo Juvenalis verba *positus modo* non nimis stricto sensu accipiamus.

Denique videndum est de sententia verborum *rapta abolla*. *Abollam* alii interpretantur *pallium philosophicum*, *lacernam* alii, quam Pegasus, deposita toga, Albam iturus, induerat, ut adnotat Ruperti. Heinrichius vero, cui assentior, existimat, his verbis Juvenalem indicare, Pegasum, ut multi hujus temporis jurisconsulti, Stoicae disciplinae fuisse addictum.

Jam de ceteris minus notis jurisconsultis secundum temporis ordinem agere mihi propositum est.

Caedicii nomen bis offendimus, Sat. XVI, quae tamen a multis Juvenali abjudicatur, vs. 46, ubi *facundus* vocatur, et Sat. XIII vs. 197 hoc modo:

> Poena autem vehemens ac multo saevior illis
> quos et Caedicius gravis invenit et Rhadamantus,
> nocte dieque suum gestare in pectore testem.

Variae sunt de eo interpretum opiniones neque usquam alibi mentionem de eo factam inveni. Adducor ut cum aliis Heinrichio assentiar, existimanti non de eodem in utraque Satira sermonem esse. Caedicius, qui Sat. XVI memoratur, causarum patronus fuisse videtur: quem autem nominat in Sat. XIII personam fictam fuisse suspicari potest, quam poëta propter severitatem a *caedendo* appellaverit Caedicium. Quae de eo apud Grangaeum, Britannicum, alios interpretes, et in Scholiis leguntur, merae conjecturae nugaeque esse videntur nullis fundamentis nitentes. Sic. e. g. in Schol. Vet. legimus: „Caedicium aulicum Nero-

„NIS crudelissimum fuisse vult intelligi satellitem," et HEINRICHIUS laudat glossam in Cod. Hus.: „CEDITIUS „fuit tyrannus, qui et fuit primus qui invenit hunc „primum cruciatum."

Sequuntur qui ipsius JUVENALIS aetate vixerunt, plerique imperante DOMITIANO.

De ARMILLATO et PALFURIO legimus Sat. IV vs. 53:

> Si quid Palfurio, si credimus Armillato,
> quidquid conspicuum pulchrumque est aequore toto,
> res fisci est, ubicumque natat cet.

In Scholiis hi delatores dicuntur, quos etsi CALDERINUS oratores vocat, HEINRICHIO potius fides habenda esse videtur, dicenti eos fuisse jurisconsultos, qui jure fisci amplificando Caesarum dominationem adjuvare et confirmare conati sint. Verba enim JUVENALIS jurisconsulti potius quam oratoris sententiam continere videntur. De ARMILLATO nihil, de altero pauca tantum nota sunt. Scholion exstat dignum quod hîc totum describamus: „PALFURIUS SURA, consularis filius, in „agone cum virgine Lacedaemonia sub Nerone luctatus „est (1). Post inde a VESPASIANO senatu motus, trans„ivit ad Stoicam sectam, in qua cum praevaleret et „eloquentia et artis poëticae gloria, abusus familiaritate „DOMITIANI, acerbissime partes delationis exercuit. Quo „interfecto, senatu accusante, damnatus est: cum fuis„sent inter delatores potentes apud DOMITIANUM et hi,

(1) In Scholiis editionis JAHNII nomen SURA additur, quod non legitur apud CRAMERUM, qui contra *in agone cum virgine Lacedaemonia* addit, quae verba apud JAHNIUM non inveniuntur.

„Armillatus, Demostenes et Latinus archimimus, „sicut Marius Maximus scripsit." Palfurium fuisse consularis viri filium etiam Probus affirmat eumque senatu motum esse legimus apud Suetonium *in vita Domitiani* cap. XIII, quo loco Palfurius Sura in Capitolino agone de oratoribus coronatus esse dicitur; quem ut in senatum restitueret, quum omnes ab imperatore peterent, nullo responso dato, *tacere* tantummodo jussit Domitianus voce praeconis. Alius cujusdam Palfurii Surae nomen legitur in Historiae Augustae scriptoribus, qui fuerit historiarum scriptor.

Curtius Montanus, senator sub Domitiano Sat. IV, vs. 107 sic inducitur:

Montani quoque venter adest abdomine tardus.

Idem vs. 131 sqq. grandibus verbis de re minoris momenti sententiam dicit, quam vicisse legimus vs. 136, ubi cum ironia *viro digna* vocatur. Depingitur deinde ut comissator Neronis et gulosus; unde a Schol. pinguis et ventrosus dicitur, et ipse poëta *Montani venter* pro ipse Montano scripsit acerba ironia. Non minus severum de eo judicium legimus. Sat. XI vs. 34:

Orator vehemens, an Curtius et Matho buccae.

Quos Schol. ad h. l. vocat *jactanticulos*, Grangaeus *fastuosos et ventosos causidicos*, Britannicus *viles causidicos*. Quamvis Curtius Montanus inter jurisconsultos nullius fere pretii ignotusque sit, de ejus vita tamen nonnulla invenimus apud Tacitum, qui in Annal. Libr. XVI talia narrat. Marcellus in oratione queritur nimium mites esse patres, „qui Curtium

MONTANUM detestanda carmina factitantem eludere impune sinerent." Alii tamen mitius de eo judicabant, eum fuisse probae juventae ejusque carmen non famosum sed ingeniosum fuisse, ipsum vero carminis ingenium NERONEM laesisse, quippe qui poëta haberi vellet. Reus quamvis carminis famosi, salvus e judicio evasit CURTIUS; legimus enim l. l. cap. XXXIII: „MONTANUS patri concessus est, praedicto ne in repu„blica haberetur." Ceteri conjuratores partim morte multati sunt, ut THRASEA, SORANUS, SERVILIA, partim exsilio, ut HELVIDIUS et PACONIUS. Quod de MONTANO legimus „ne in republica haberetur," LIPSIUS sic interpretatur: „ut Romae quidem esse ei „liceret, sed procul ab honore omni et publicis mune„ribus." NERONE mortuo tamen in honorem eum restitutum esse, jam e JUVENALIS loco laudato apparet. Praeterea ejus nomen legitur apud TACITUM *in Hist.* Libr. IV. Imperante autem VESPASIANO DOMITIANUS, absentibus patre et fratre TITO, in senatum retulit de restituendis GALBAE honoribus. Tum MONTANUS sententiam rogatus censuit ut PISONIS quoque memoria celebraretur, PISONEM LICINIANUM significans, qui ab OTHONE successor designatus, a praetorianis interfectus erat. Quum autem in senatu MESSALA auderet pro fratre AQUILIO REGULO deprecari; „occurrit," ait TACITUS *Hist.* Libr. IV, cap. XLII, „truci oratione CURTIUS MONTANUS, eo usque pro„gressus, ut post caedem GALBAE datam interfectori „PISONIS pecuniam a REGULO adpetitumque morsu „PISONIS caput objectaret." Deinde orationem habuit in adversarios, quae magno cum adsensu a senatu audita est, qua invehitur in delatorem AQUILIUM REGULUM.

Inde nonnulli, in quibus HELVIDIUS, spem ceperunt „posse etiam MARCELLUM prosterni." Hic autem, ira incensus, cum VIBIO CRISPO senatum reliquisset, nisi ab amicis retractus esset. „Cum glisceret," addit TACITUS, „certamen, hinc multi bonique, inde pauci et „validi pertinacibus odiis tenderent, consumptus per „discordiam dies." Quod factum est A. U. 825 (A. D. 71). Ex hoc loco conficere licet, JUVENALIS judicium de MONTANO oratore nimis severum esse; jactanticulus enim non tanto cum adsensu a senatu auditus esset et oratio apud TACITUM, ficta quamvis, non tam malum oratorem indicare videtur. Elegans et jocosus est locus JUVENALIS, ubi agitur de MONTANO guloso et NERONIS comite; talis igitur homo admodum idoneus erat, qui judicaret de pisce coquendo nec mirum quidem est ejus sententiam in senatu vicisse, quum hac de re ageretur (1).

In Sat. XIII notatur nomen FAESIDII, mali causidici, quem Scholia tradunt conductos habuisse, qui se causas agentem magna voce laudarent; fuerint hi, ut adnotat BRITANNICUS, clientes, qui, quum adulando eum laudassent, sportulam acciperent. In Notis Selectis hic FESSIDIUS THRASO vocatur idemque narratur, addito conducendi pretio his verbis: „pro centum quadrantibus." In HEINRICHII quoque editione legitur FESSIDIUS, qui dicit utramque scribendi rationem inscriptionum auctoritate defendi posse.

(1) Praeter CURTIUM MONTANUM complures MONTANI memorantur e. g. JULIUS MONTANUS poëta apud SENECAM; MONTANUS ATTICINUS in epistolis Plinianis; multi etiam apud TACITUM de quibus vid. RUPERTI ad JUVENALIS l. l.

Nec magis notus est FUSCUS, cujus nomen legimus Sat. XII, vs. 45 et Sat. XVI, vs. 46, qui uxorem habuerit bibacem. CALDERINUS ipsum quoque potu delectatum esse existimat, et legimus in Notis Selectis: „Hic „apud MARTIALEM ebriosus notatur. Dictus AURELIUS „FUSCUS, qui mictum exiret, ut vesicam distentam exo„neret cet." Fieri potuit ut nimis diu lis ageretur, in qua FUSCUS sive patronus causae sive judex fuerit. Fortasse idem est quem PLINIUS H. N. Libr. XXXIII, 152 ARELLIUM FUSCUM vocat et equestri ordine motum esse dicit (1).

Gravius etiam his perstringitur MATHO, quem JUVENALIS tribus locis carpit; Sat. VII enim vs. 129 dicit *Mathonem deficere* et Sat. XI vs. 34, ut vidimus, CURTIUM et MATHONEM oratori vehementi opponit et *buccas* vocat. Praecipuus tamen locus est Sat. I, vs. 32 sqq. ubi legimus:

nam quis iniquae
tam patiens urbis, tam ferreus ut teneat se,
causidici nova quum veniat lectica Mathonis
plena ipso cet.

Schol. adnotat Mathonem fuisse advocatum (2), qui sceleribus dives factus esset; verba autem *plena ipso* ventrosum eum fuisse indicant.

Tempore DOMITIANI cum POMPEJO FALCONE, ut adnotat BRITANNICUS, delationum quaestu dives factus

(1) In Epistolis Plinianis memorantur CLAUDIUS FUSCUS et FUSCUS SALINATOR.

(2) *Advocatus* h. l. est causidicus, jurisconsultus; reipublicae vero tempore aliam fuisse hujus vocabuli significationem satis notum est.

est; antea pauperem fuisse inde idem conficit, quod Sat. VII, vs. 129 legatur:

Sic Pedo conturbat, Matho deficit cet.

Lectio *deficit* confirmatur testimonio PRISCIANI, Libr. VIII dicentis: „*Deficio* quando accipitur pro *defetis-*„*cor* neutrum est. JUVENALIS in III (1) *Matho defi-*„*cit.*" *Deficere* h. l., ut saepe apud jurisconsultos, significare videtur *solvendo non esse.* Idem fere de PEDONE dicitur *conturbat* scil. *rationes s. rem familiarem.* Minus recte igitur in Notis Selectis multis verbis demonstratur locos e Sat. I et VII inter se non convenire, si legamus *deficit*, quia hoc loco pauper, illo ditissimus dicatur MATHO; quare legendum esse *dejicit.* Namque et sanam esse lectionem testatur PRISCIANUS et non pugnare locos inter se docere instituit BRITANNICUS. MATHO igitur quum pauper ante fuisset causidicus et obrutus aere alieno, postquam delationibus dives est factus, luxuriae arrogantiaeque indulgens ventrem aluit et ostentandi causa nova lectica vectus in publicum prodiit. — De moribus autem ejus in Notis Variorum tale judicium fertur: „Iste MATO causidicus „propter plurima vitia factus fuit amicus CLAUDII NE-„RONIS. Schol. ex ms. vet. ap. Barth. Adv. XIII, vs. 13." Quae tamen amicitia opes ei attulisse non videtur, nisi forte statuendum est eum post fautoris mortem denuo ad paupertatem esse redactum; constat enim, ut vidimus, Domitiano imperante demum divitem esse factum. HEINRICHIUS autem MATHONEM pauperem quidem causidicum fuisse dicit, sed Sat. I, vs. 32 tan-

(1) *In III* i. e. in Libro III, cujus Sat. VII initium est.

tum MATHONI similem designari, quia tempore JUVENALIS jam mortuus esset. Nullis tamen argumentis sententiam suam confirmat, cui opponere possum MARTIALEM duobus locis (IV, 80, 81) de MATHONE mentionem facientem, *hospitem* et *amicum* vocare. Qui si idem est atque ille quem JUVENALIS carpit, falso eum judicasse apparet. Sed hoc nihil magis equidem affirmare audeam, quam ille suam sententiam probavit. Ceterum idem nomen apud MARTIALEM saepius offendimus; sed duo praecipue loci sunt, qui in JUVENALIS MATHONEM optime convenire videntur, Libr. VII, ep. X, ubi ejus libido perstringitur simulque ostenditur divitem fuisse:

> Centenis futuit Matho milibus: Ole, quid ad te?
> Non tu propterea, sed Matho pauper erit.

et Libr. X, ep. XLVI, ubi ejus vanitas his verbis ridetur:

> Omnia vis belle, Matho, dicere. Dic aliquando
> et bene: dic neutrum; dic aliquando male.

PEDO autem, quem JUVENALIS in Sat. VII una cum MATHONE nominat, eodem numero habendus videtur; sed ejus nomen apud scriptores memoratum non inveni. (1)

Ejusdem Satirae vs. 143 notatur PAULUS, pauper causidicus, qui tamen divitem se esse simulet, ut majore mercede causas agat. Confundendus hic non est cum PAULO clarissimo illo jurisconsulto, qui Romae floruit ALEXANDRO SEVERO imperante. Ibidem vs. 130 memoratur TONGILIUS, de quo idem fere dicendum est

(1) SENECA memorat PEDONEM POMPEJUM, et TACITUS *Annal. Libr.* I, cap. LX, agit de PEDONE quodam praefecto equitum.

ac de PAULO, divitem se esse simulasse magna cum ostentatione, sed tamen in paupertate miserum habuisse exitum. Idem a MARTIALE Libr. II, ep. XL *gulosus* dicitur, nec quidquam praeterea de eo constat.

Postremo videamus de CELSO, de quo JUVENALIS Sat. VI, vs. 245 agit his verbis:

> **Componunt ipsae per se formantque libellos,**
> **principium atque locos Celso dictare paratae.**

Hi versus cohaerere mihi videntur cum proxime antecedentibus, ubi sermo est de feminis litigiosis, quae accusare dicuntur, nullo causarum patrono adjuvante, quum ipsae per se libellum accusatorium componant. Hanc ob rem iis potius assentior, qui CELSUM jurisconsultum dicunt, quam BRITANNICO judicanti eum fuisse acutissimum rhetorem. In Scholiis legimus; „oratori „illius temporis, qui septem libros institutionum scrip„tos reliquit." Ex cujus operis titulo facile conficitur, Scholiasten judicare h. l. de jurisconsulto sermonem esse, quemadmodum in Commentariis ad Satiras a CRAMERO editis pag. 214 legimus *oratores* pro *jurisconsultis* in libris de jure inveniri. Multi autem JUVENALIS aetate CELSI vixerunt, sed si conceditur hunc CELSUM fuisse jurisconsultum, sine dubio intelligendus est pater P. JUVENTII CELSI, qui sub TRAJANO et HADRIANO floruit, quum hujus Satirae argumentum ad DOMITIANI tempus spectet. Hac in re igitur HEINRICHIO assentior, nec vero eidem dicenti *locos* de arte rhetorica esse; facio enim cum BYNKERSHOEKIO dicenti de *jurisprudentia* h. l. esse intelligendum, et cum RUPERTO, qui verba *principium et locos* sic explicat: *modum actionis*

instituendae causaeque probandae. In *Digestis* quoque nonnumquam CELSI patris mentio fit, qui memoratur praeterea apud DIONEM Libr. LXVII, pag. 765 D., ubi dicitur CELSUS, conjurationis in DOMITIANUM reus, astutia sua imminens sibi periculum effugisse; nam colloquio secreto cum imperatore impetrato promisit se aliorum conjurationis sociorum nomina esse delaturum, si capitis absolveretur. Qua conditione dimissus, quod promisit semper distulit, donec DOMITIANUS occisus est (1).

Hi igitur sunt fere jurisconsulti, quorum nomina in Satiris leguntur, quaeque de iis indagare potui. Sequuntur grammatici et rhetores.

---

(1) De P. JUVENTIO CELSO filio cf. PLINII EPIST. Lib. VI, ep. V et FABRICIUS *Bibl. Lat.* Tom. III, pag. 491. Apud QUINTILIANUM et PLINIUM H. N. laudatur CORNELIUS CELSUS; apud TACITUM JULIUS CELSUS tribunus et MARIUS CELSUS, qui vixit GALBA et OTHONE imperantibus.

§ 4. DE GRAMMATICIS ET RHETORIBUS.

De grammaticorum et rhetorum genere aguntur quaedam a JUVENALE in Sat. III et VII, unde eorum artem e Graecia Romam transmigrasse eorumque conditionem satis miseram fuisse apparet. In Sat. III enim, vs. 76 sqq. UMBRICIUM facit dicentem:

> **Grammaticus, rhetor, geometres, pictor, aliptes,**
> **augur, schoenobates, medicus, magus; omnia novit**
> **Graeculus esuriens; in coelum, jusseris, ibit.**

Ex hac enumeratione artium, quas, qui cum contemtu Graeculi vocantur, profiterentur, confici potest JUVENALEM ne grammaticos quidem et rhetores magni facere, quamquam primo loco eos nominat. Per omnem hanc Satirae partem queritur Graecos nimis magno numero in urbe versari omnesque artes profiteri, eosque non claros viros et dignos sed humiles plerumque et viles, quapropter vs. 60 sq. exclamat:

> **. . . . . Non possum ferre, Quirites,**
> **Graecam urbem cet.**

De conditione autem grammaticorum sic loquitur Sat. VII, vs. 215 sqq.:

> Quis gremio Celadi doctique Palaemonis affert,
> quantum grammaticus meruit labor? et tamen ex hoc
> quodcumque est (minus est autem quam rhetoris aera)
> discipuli custos praemordet acoenonoëtus;
> et qui dispensat, frangit sibi.

Grammatici igitur, quos nunc magistros artium liberalium vocamus, pro magno suo molestoque labore parvam mercedem, minorem etiam quam rhetores, accipiebant, cujus praeterea pars a discipulorum suorum servis rapacibus, paedagogo et dispensatore, subtrahebatur. Misera profecto eorum conditio erat, quamvis essent docti ut Celadus et Palaemon.

De rhetoribus autem poëta agit Sat. VII, vs. 150 usque ad vs. 214, quorum miserias vividis coloribus depingit. Cum eleganti ironia demonstrat, quantis molestiis eorum munus obnoxium sit, quum discipulorum ignorantia, stupidorum quamvis et stolidorum, magistris tamen crimini detur. Mercedem autem vix accepisse legimus vs. 157 sq.:

> Nosse velint omnes, mercedem solvere nemo.
> Mercedem appellas? quid enim scio?

et vs. 174 sq.:

> Summula ne pereat, qua vilis tessera venit
> frumenti; quippe haec merces lautissima.

Licet poëta his versibus rem exaggeraverit, illud saltem inde conficitur rhetorum mercedem (minus etiam, ut vidimus, grammatici accipiebant) perexiguam fuisse,

ita ut eorum conditio misera quidem esset vocanda, quod de grammaticis exponit vs. 219 sqq., ubi de PALAEMONE agit. Quam parvi autem eos faciat conficitur e vs. 197 sq. ubi rhetoribus consules his verbis opponit:

> Si Fortuna volet, fies de rhetore consul,
> si volet haec eadem, fies de consule rhetor.

Eandem fere sententiam Sat. III, vs. 39 sq. his verbis exprimit:

> Quales ex humili magna ad fastigia rerum
> extollit, quoties voluit Fortuna jocari.

Jam de singulis acturi ordiamur a QUINTO RHEMMIO PALAEMONE, qui fuit illustris sed arrogans grammaticus aetatis imperatoriae, qui QUINTILIANI et PERSII praeceptor fuisse dicitur. In libro de Illustribus Grammaticis brevis ejus vita inserta est cap. XXIII, ad quem locum OUDENDORPIUS, in sua SUETONII editione, adnotat PALAEMONIS nomen legi in inscriptione apud GRUTERUM DCLIII nº. 1, quam spuriam esse judicat, quae tamen etiam laudatur ab HEINRICHIO. Inscriptio autem illa est in tumulo lapideo, quem PALAEMON sibi et contubernali feminae TUBERONIAE struxisse dicitur. E vocabulo *contubernali* apparet eum fuisse servum, aut saltem libertinum, quod etiam in vita laudata affirmatur, ubi dicitur: „Vicentinus, mulieris verna," cui nonnulli interpretes nomen tribuunt LUCIAE, initium inscriptionis, ubi legimus PALAEMON. L. L (L.) D. F, sic interpretantes: *Palaemon libertus Luciae* (*Luciae*) *defunctae.* Paedagogus quum esset herilis filii, discendi studiosus tantam literarum notitiam doctrinamque sibi

comparavit, ut manumissus principem locum inter grammaticos obtineret. Moribus autem tam malis fuit, ut TIBERIUS et CLAUDIUS, quibus imperantibus Romae vixit, judicarent nequaquam ei institutionem puerorum esse committendam. Unde tamen factum sit ut arte sua floreret, in vita laudata his verbis additur: „Sed „capiebat homines quum memoria rerum, tum facilitate „sermonis; nec non etiam poëmata faciebat ex tempore. „Scripsit et variis nec vulgaribus metris."

Eundem indicare videtur MARTIALIS Lib. III, ep. LXXXVI, vs. 11:

> Scribat carmina circulis Palaemon,
> me raris juvat auribus placere.

quod optime convenit cum nimia ejus arrogantia, cujus plura exempla inveniuntur in vita laudata, quae tamen nugis ita plena est, ut has describere mihi non lubeat. Nihilominus tamen artis peritia PALAEMONI non denegatur a QUINTILIANO Or. Inst. Libr. I, cap. IV, 20. Quae autem fuerit PALAEMONIS ars legimus apud JUVENALEM Sat. VI, vs. 452 sqq.:

> . . . . . odi
> hanc ego, quae repetit volvitque Palaemonis artem;
> servata semper lege et ratione loquendi,
> ignotosque mihi tenet antiquaria versus,
> nec curanda viris opicae castigat amicae
> verba: soloecismum liceat fecisse marito.

Praeter arrogantiam in vita laudata PALAEMONI vitia tribuuntur libido et luxuria, quorum exempla allata, ut nugas, missa faciamus. Unum tantum memoratu dignum esse mihi videtur, eum agros adeo coluisse, „ut vitem, „manu ejus institutam, satis constet trecenta sexaginta

„quinque vasa edidisse." Quod confirmatur testimonio PLINII, *H. N.* Libr. XIV, cap. IV, s. 5 scribentis parvo pretio rus eum emisse suburbanum in Nomentano, quod a priore possessore neglectum esset; PALAEMONEM autem studuisse illud fertile reddere, unde gloriolam simul et lucrum caperet. Opera usus ACILII STHENELI libertini, eo pervenit, ut intra octo annos vites miraculosam praeberent vindemiam et maximum inde reditum caperet. Undique accurritur ad hoc miraculum spectandum et postremo ANNAEUS SENECA illas vineas emit; scribit enim PLINIUS: „emptis quadruplicato vineis illis intra „decumum fere curae annum." Quamvis igitur PALAEMON ex schola, ex agricultura, et, si vitae laudatae fides habenda est, ex officinis promercalium vestium, satis magnas caperet reditus, luxuria tamen et libido ad paupertatem eum perduxerunt. Inde JUVENALIS Sat. VII, vs. 219 sqq. pauperis grammatici conditionem describens, PALAEMONEM alloquitur; molestias illius muneris enumerat et postremo dicit eum per totum annum vix tantum pecuniae accipere, quantum aurigae, gladiatores, alii ejusmodi una hora, jubente populo, accipiant.

Denique scripta quoque ad nos pervenerunt, quae PALAEMONIS nomine feruntur, *Ars s. de partibus orationis liber* inter grammaticos PUTSCHII pag. 1365-1386 et *Differentiae sermonum* a DORVILLIO editae Amstelodami 1749.

Sat. VI, vs. 75 et Sat. VII, vs. 186 sqq. legimus nomen QUINTILIANI. Utrum his locis agatur de notissimo illo M. FABIO QUINTILIANO, an de alio ejusdem nominis, disputant inter se interpretes, quorum alii QUINTILIANUM Calagurritanum, nomen fictum alii

pro quovis viro docto, alii etiam plebejum citharoedum aut tragoedum intelligendum esse existimant. Scholia vetera QUINTILIANUM scholasticum et oratorem egregium interpretantur. Sat. VI, vs. 75 QUINTILIANUS opponitur comoedis, tragoedis, aliis istiusmodi hominibus, qui ab impudicis mulieribus amantur. Sat. VII, vs. 186 sqq. legimus:

Hos inter sumptus sestertia Quintiliano
ut multum, duo sufficiunt: res nulla minoris
constabit patri, quam filius cet.

Versibus praecedentibus JUVENALIS ostendit quantos sumptus faciant divites in balneis, porticibus, aliis ejusmodi aedificiis exstruendis, et quanti emant conducantve servos epulis condiendis idoneos. His autem versibus docet divites duo vix sestertia iis dare, quibus filios educandos tradiderint. Hoc loco autem non de tragoedo sive comoedo sermonem esse, ut nonnulli putant, confici posse mihi videtur e vs. 176, ubi CHRYSOGONUS et POLLIO magna mercede lautorum pueros docere dicuntur. Vs. igitur 186 sq. sine dubio de rhetore vel de grammatico agit poēta. Inquirendum tamen est, utrum QUINTILIANUS ille Calagurritanus an alius intelligendus sit. Legimus autem vs. 188 sq.

. . . . . Unde igitur tot
Quintilianus habet saltus?

unde apparet divitem eum fuisse. QUINTILIANUM tamen, cujus mentionem facit PLINIUS (1), modicis videtur fuisse facultatibus. Utroque loco igitur de eodem QUINTILIANO agi vix potest: in epistola autem Plini-

(1) Vid. PLINII *Epistolarum Libr.* VI, ep. XXXII.

ana QUINTILIANI quidem nomen legimus, sed ita ut facile intelligi possit alius, a rhetore illo diversus, ut judicat SPALDINGIUS (1), qui inprimis legendus est, ubi in praefatione disputat de QUINTILIANO et de loco JUVENALIS supra laudato. SPALDINGIUS autem censet JUVENALEM sub nomine QUINTILIANI alium illius temporis rhetorem significasse, cui assentitur HEINRICHIUS, qui tamen dicit ad eum nihil pertinere nisi quaestionem: „*Unde igitur tot* QUINTILIANUS *habet saltus*," quum SPALDINGIUS etiam versus sequentes ad QUINTILIANUM pertinere affirmat, in quibus versibus irrisionem esse dicit. HEINRICHIUS contra existimat a verbis: „*exemplo novorum cet.*", descriptionem incipere hominis, qui secunda fortuna utatur, cui tamen cum QUINTILIANO nihil commune sit. SPALDINGIO equidem assentior atque existimo JUVENALEM vs. 189 sqq. causam afferre cur QUINTILIANUS dives factus sit. Eum enim non arti rhetoricae sed fortunae suas divitias debere, quapropter poëta vs. 197 sq. exclamat:

Si Fortuna volet, fies de rhetore consul,
Si volet haec eadem, fies de consule rhetor.

Notatu dignus etiam est SECUNDUS CARRINAS, qui memoratur Sat. VII, vs. 204:

Poenituit multos vanae sterilisque cathedrae,
sicut Thrasymachi probat exitus atque Secundi
Carrinatis: et hunc inopem vidistis, Athenae,
nil praeter gelidas ausae conferre cicutas.

Dubitatur utrum duo posteriores versus SECUNDUM

(1) In praefatione editionis suae QUINTILIANI *Inst. Or.* pag. XXXI.

CARRINATEM spectent an SOCRATEM. Hoc si, quae mea quidem sententia est, probabilius videatur, post illos versus aliquid excidisse existimandum est. De SECUNDI CARRINATIS enim morte nihil certi notum est, nisi quod vetus scholiastes tradit eum venenum sumsisse, ut paupertatis miserias effugeret, quod tamen nullius scriptorum testimonio confirmatur. Scimus tantum e DIONIS Libr. LIX, cap. XX, pag. 656 A, eum a CALIGULA in exsilium esse missum, quia contra tyrannos ἐν γυμνασίᾳ declamasset. DOMITIUS CALDERINUS adnotat eum Athenis rhetoricen professum ob paupertatem munus deseruisse, deinde Romam venisse, ibique temporibus NERONIS et OTHONIS vixisse, quod confirmari dicit testimonio PLUTARCHI, apud quem mentio fit de SECUNDO CARRINATE, qui dicitur OTHONIS epitolas legisse. Eadem est opinio HEINRICHII, qui dicit eum Romam rediisse, viginti sex annis postquam in exsilium missus esset. Sic idem fuerit ac ille, de quo mentio fit apud TACITUM *Annal.* Libr. XV, cap. XLV, ubi narratur, quum in Asia atque Achaja dona et simulacra numinum abriperentur, SECUNDUM CARRINATEM cum liberto ACRATO eo missum esse. De quo TACITUS illud addit: „hic „Graeca doctrina ore tenus exercitus, animum bonis artibus non induerat."

Praeter hos in Satiris memorantur nomina CELADI, RUFI, THEODORI, VAGELLII, de quibus etiam nonnihil dicendum est.

CELADUS, cujus nomen conjungitur cum PALAEMONIS Sat. VII, vs. 215, grammaticus fuisse videtur, qui, aliunde non cognitus, apud SUETONIUM *in vita Augusti* cap. LXVII inter libertos hujus imperatoris recensetur,

quos in honore et usu maxime haberet. Olim h. l. legebatur: „ut LICINIUM, ENCELADUM aliosque," quam lectionem vitiosam judicans OUDENDORPIUS emendavit: „LICINIUM, EUNUM, CELADUM aliosque." Eandem lectionem HEINRICHIUS in hoc JUVENALIS loco vindicat contra BRITANNICUM, qui legit ENCELADUM; illius autem opinio inscriptionibus confirmatur.

De RUFO legimus Sat. VII, vs. 213 sq.:

Sed Rufum atque alios caedit sua quaeque (1) juventus,
Rufum quem toties Ciceronem Allobroga dixit.

In Scholiis GALLUS et valde disertus vocatur, quae interpretatio cum ejus cognomine, *Cicerone Allobrogi*, bene congruere videtur. Hic versus enim sic interpretandus esse mihi videtur: etsi RUFUM toties CICERONEM Allobroga i. e Gallicum, dixit, tamen caedit. Discipuli igitur etsi RUFI cum CICERONIS comparant eloquentiam, nihilominus eum vexant. Hunc fuisse existimo SATRIUM RUFUM, de quo in Epistolis Plinianis Libr. I, ep. V, § 11 REGULUS quidam sic judicat: „SATRIUS RUFUS, cui non est cum CICERONE aemulatio „et qui contentus est eloquentia seculi nostri." Ipse vero PLINIUS laude dignissimum eum esse judicat Libr. IX, ep. XXXVIII. Sunt qui de VIRGINIO RUFO dictum esse putent, (2) GRANGAEUS autem et HEINRICHIUS

(1) In plerisque editionibus legitur *quemque*; meliorem tamen sententiam praebere mihi videtur *quaeque*, quod legimus in Codice ς. In versu secundo potius legatur *quem* cum JAHNIO, HERMANNO, aliis, quam cum HEINRICHIO *qui*.

(2) Vid. de eo TACITUS *Annal.* Libr. XV, cap. XXIII, in Epistolis Plinianis et apud DIONEM.

de Q. CURTIO RUFO, quem PERIZONIUS eundem esse dicit ac scriptorem de rebus gestis ALEXANDRI MAGNI. Plane alia eorum est hujus versus interpretatio, qui, ut HEINRICHIUS, legunt *qui* in vs. 214. Versum enim sic interpretandum esse censent, RUFUM CICERONEM culpasse eumque barbare, Allobrogice, potius quam Latine loquentem dixisse. Sic discipulos propter arrogantiam eum contemsisse atque ideo cecidisse statuendum sit.

THEODORUS a ceteris interpretibus rhetor, ab uno ACHAINTRE citharoedus vocatur vel etiam cinaedus. De quo JUVENALIS Sat. VII, vs. 175 sqq:

. . . . . tempta
Chrysogonus quanti doceat vel Pollio quanti
lautorum pueros: artem scindes Theodori.

Miror igitur qui ACHAINTRE hunc versum de citharoedo intelligendum judicare potuerit. *Scindere* autem cum HEINRICHIO et aliis accipio *proscindere*, *deridere*, et *artem Theodori* fuisse *rhetoricam*. Sententia est: quum videmus citharoedos magno pretio pueros docere, rhetores vero parva mercede artem suam exercere, rhetoricam vere deridendam esse judicamus. THEODORUS ille fuisse videtur THEODORUS GADAREUS, de quo legimus apud SUIDAM in voce: *"Θεόδωρος Γαδαρεύς, σοφιστής, ἀπὸ δούλων, διδάσκαλος γεγονὼς Τιβερίου Καίσαρος. ἐπεὶ δὲ συνεκρίθη περὶ σοφιστικῆς ἀγωνισάμενος Ποτάμωνι καὶ Ἀντιπάτρῳ ἐν αὐτῇ Ῥώμῃ. ἐπὶ Ἀδριανοῦ Καίσαρος ὁ υἱὸς αὐτοῦ Ἀντώνιος συγκλητικὸς ἐγένετο."* Deinde SUIDAS THEODORI opera enumerat, non tamen omnia; addit enim *καὶ ἄλλα*. Horum unum est *περὶ ῥήτορος δυνάμεως*, quod opus fortasse JUVENALIS spectat, ubi in

versibus laudatis agit de arte THEODORI, quae hujus libri argumentum fuerit. QUINTILIANUS *Inst. Or.* Libr. II, cap. XVI eundem his verbis laudat: „Cautius THEODO-„RUS GADAREUS, ut jam ad eos veniamus, qui *artem* „quidem esse eam, sed *non virtutem* putaverunt. Ita „enim dicit (ut ipsis eorum verbis utar, qui hoc ex „Graeco transtulerunt); *Ars inventrix, et judicatrix,* „*et enuntiatrix decente ornatu secundum mensionem* „*ejus, quod in quoque potest sumi persuasibile, in ma-* „*teria civili.*" QUINTILIANUS autem in capite illo enumerat sententias philosophorum et rhetorum de ea quaestione, quid sit rhetorica. Libr. III, cap. I tradit THEODORUM Rhodium dici maluisse quam Gadareum et imperatorem TIBERIUM studiose eum audivisse, quum in insula RHODO exsularet (1). Fortasse de eodem agit MARTIALIS Libr. V ep. LXXIII.

VAGELLIUS memoratur Sat. XIII, vs. 119 et Sat. XVI vs. 23:

> . . . . . , ... **Dignum erit ergo**
> **declamatoris mulino corde Vagelli,**
> **cum duo crura habeas, offendere tot caligas, tot**
> **milia clavorum cet.**

Ad h. l. legimus in Scholiis: „*Mulino corde Vagelli.* „In alio, *Mutinensis.* Rhetor aliquis de Mutina, igna-„vus [cor]de mulino." Cur Scholion eum Mutinensem appellaverit non liquet; BRITANNICUS tamen auctoritate, ut videtur, hujus Scholii, dicit eum fuisse VAGELLIUM Mutinensem, poëtae aetate causidicum audacissimum, qui causas vel periculosas susciperet defen-

(1) cf. SUETONIUS *in vita Tiberii* cap. LVII.

dendas: quod nisi firmioribus argumentis probetur accipi non posse mihi videtur. In Scholio rhetor, non causidicus vocatur, nec quidquam obstare videtur quominus *declamator*, qua voce poëta utitur, de rhetore dicatur, quamquam saepe hoc nomine vani et futiles oratores appellantur. Vocabula *corde mulino* Scholiastes de *ignavo*, GRANGAEUS vero de *pertinaci* dictum esse judicat. Sed quae dicit JUVENALIS potius ex metu militum eorumque vindictae quam e pertinacia oriunda mihi videntur. Qualis autem fuerit ille VAGELLIUS pro certo affirmare non audeo; laudatur quidem apud SENECAM *Nat. Quaest.* Libr.VI, cap. II sub fin. carmen cujusdam VAGELLII his verbis: „Egregie VAGELLIUS „meus in illo inclyto carmine:

Si cadendum est, (inquit), *mihi, coelo cecidisse velim.*"

Sed vix credendum est h. l. de eodem VAGELLIO sermonem esse, atque in Sat. XVI, quo loco magno cum contemtu de eo loquitur poëta.

Sunt qui Sat. XIII, vs. 119 pro *statuamque Vagelli* legendum proponant: *statuam Bathylli* in quibus CRAMERUS in notis ad Scholia. BATHYLLI statuam GRANGAEUS a POLYCRATE erectam esse dicit ante aram JUNONIS Samiae; fuit autem illius temporis pantomimus. HEINRICHIUS hanc opinionem perversam esse dicit et h. l. de eodem sermonem esse judicat quo Sat. XVI, vs. 23 additque: „Von der Statue aber ist nichts be„kannt. Er ist also wohl hypothetisch zu nehmen: Eure „Statuen helfen eben so wenig als wenn man statt „ihrer die Bildsäule eines VAGELLIUS hinstellte."

Haec de rhetoribus et grammaticis; jam de medicis videamus.

§ 5. DE MEDICIS.

Pauca tantum medicorum nomina in Satiris leguntur, eaque omnia Graecae originis. Id quod minime est mirandum; medica enim ars Romae exiguo in honore erat, quapropter ab advenis plerumque atque infimae conditionis hominibus excercebatur: quin etiam divites Romani in servorum numero illius artis peritos habere solebant. Medicorum autem Romae olim idem ἰατρός erat et χειρουργός; tempore tamen Tiberii chirurgi per se artem profiteri coeperunt, ut a Celso docemur *Praef.* Libr. VII (1). Dignissimus qui inspiciatur est locus Plinii e Libr. XXIX, cap. I, s. 4, ubi laudat medicos, qui Romae sub imperatoribus floruerunt; inde apparet clarissimos eorum annuam a principibus mercedem accepisse, quorum nonnullos saltem origine Italos fuisse ipsa nomina indicant. Hoc tamen constat medicinam e Graecia Romam translatam esse, quemadmodum in ejusdem Plinii libro laudato cap. I, s. 6 legimus: „Cassius Hemina ex antiquissimis auctor est primum

(1) De medicis cf locus in Beckeri *Gallo* Th. II, pag. 101 sq.

„e medicis venisse Romam Peloponneso ARCHAGATUM, „LYSANIAE filium, L. AEMILIO M. LIVIO Coss. anno „urbis DXXXV." Tum etiam in suis ipsos familiis medicos habuisse imperatores affirmare licet SUETONII testimonio *in vita Caligulae* cap. VIII: „Mitto praeterea „cum eo ex servis meis medicum, quem scripsi GER-„MANICO, si vellet, ut retineret", quae verba sunt ex epistola AUGUSTI ad AGRIPPINAM missa. Idem scriptor *in vita Neronis* cap. II loquitur de medico manumisso.

JUVENALIS autem in multis Satiris agit de medicis et semper fere cum contemtu. Medicos plerumque Graecos fuisse legimus Sat. III, vs. 75 sqq.

. . . . . quemvis hominum secum attulit ad nos,
grammaticus, rhetor, geometres, pictor, aliptes,
augur, schoenobates, medicus, magus, omnia novit
Graeculus esuriens cet.

Jam ex ipso ordine, quo hi enumerantur, conficias medicos inter infimos fere habendos esse, quamquam scimus hoc in poëta non nimis esse urguendum. Sed saepe eosdem se praebuisse ad turpissimas res perficiendas, mox videbimus, quum de singulis agemus. Nec omnes tamen eodem contemtu poëtam dignos habere videmus e Sat. XIII, vs. 124:

Curentur dubii medicis majoribus aegri,
tu venam (1) vel discipulo committe Philippi.

Quatuor medicorum nomina in Satiris leguntur, quorum duo, ARCHIGENES et THEMISON clari sunt et aliunde etiam noti, duo, HELIODORUS et PHILIPPUS, ignobiles et obscuri.

(1) De *vena* cf. Sat. VI, vs. 46.

Archigenes tribus locis in Satiris memoratur et in Scholiis „medicus magnus illius temporis" dicitur. Hujus nomine autem Juvenalis uti videtur pro quovis medico, sed constat tamen illis temporibus vere ejus nominis medicum Romae vixisse et ex omnibus locis suspicari licet poëtam certum quendam suae aetatis medicum indicare, qui in rebus dubiis advocari soleret. Sat VI, vs. 235 a muliere advocatur, quae simulat se periculoso morbo laborare, quaeque, advocato medico et ex ejus fortasse praeceptis, omnibus, quin etiam marito, remotis, moechis ad se veniendi occasionem praebet. Sat. XIII, vs. 98 verba: *„si non eget Anticyra nec Archigene"* significant, si compos mentis est, si non eget helleboro nec opera medici, qui ei venam pertundat in media fronte, quemadmodum in delirio fieri solebat, teste Britannico ad h. l. Sat. XIV, vs. 252 Juvenalis suadet cuidam viro medicum advocare et antidotum sibi comparare, quum filius ejus mortem patris accelerare cupiat. Sed de ipso Archigene legimus apud Suidam in voce: „*Ἀρχιγένης Φιλίππου, Ἀπαμεὺς Συρίας ἰατρός, „μαθητὴς Ἀγαθίνου, ἐπὶ Τραϊανοῦ ἰατρεύσας ἐν Ῥώμῃ βιοὺς „ἔτη ξγ', καὶ συγγράψας πολλὰ ἰατρικά τε καὶ φυσικά.*" De ejus origine idem dicit Galenus *in Introductione*, qui etiam mentionem facit de eo in Libr. IV *de differentiis pulsuum*. Non ignobilis medicus fuisse videtur, quem ne Juvenalis quidem perstringit et culpat ut ceteros quos memorat medicos. In ea tantum re, quae narratur in Sat. VI, l. l. aut crimini dare ei videtur, quod non viderit mulieris morbum fictum esse; aut, si viderit, majori etiam culpae eum esse obnoxium.

De Heliodoro et Philippo non multum aut nihil

aliunde notum est; uterque semel tantum cum contemtu a JUVENALE memoratur. HELIODORUM, quem Scholia illius temporis medicum vocant, quique memoratur etiam apud PAULUM AEGINETAM Libr. IV, cap. XLIX, Sat. VI, vs. 373 legimus libidinosae alicujus dominae servum castrasse, quod cur illa jusserit apparet e versibus sequentibus:

> Conspicuus longe cunctisque notabilis intrat
> balnea, nec dubie custodem vitis et horti
> provocat, a domina factus spado. Dormiat ille
> cum domina cet.

Nomen ipsum HELIODORI Romae ignotum non erat; saepius enim ejus nominis viros a scriptoribus memoratos invenimus, ita tamen ut ad hunc HELIODORUM, de quibus agimus, nihil pertineat.

PHILIPPI semel tantum ut imperiti medici mentio fit in Sat. XIII, vs. 125, ceteroquin plane ignotus est. Aliter tamen judicat *A. L. Döllen, Beiträge zur Kritik und Erklärung der Satiren des D. Jun. Juvenalis, Kiew,* 1846, qui pag. 214 sqq. dicit PHILIPPUM inter medicos majores esse recensendum, et h. l. fortasse PHILIPPUM, ALEXANDRI MAGNI medicum, esse intelligendum; si enim, ait, non tantum discipulum sed ipsum quoque PHILIPPUM culpare voluisset JUVENALIS scripsisset *discipulo vel Philippi.* His autem argumentis non plane assentior; ordo enim verborum in poëta non nimis urguendus esse videtur, et, si PHILIPPUM cum DÖLLENIO intelligimus medicum illum ALEXANDRI, verba *discipulo* PHILIPPI vix ad *malum* medicum indicandum apta esse videntur, etiamsi concedamus quod dicit DÖLLEN pag. 215: ... „da wohl die meisten Schüler hinter

„ihrem Lehrer zurückbleiben, vorausgesetzt, dass dieser „in seinem Fache ausgezeichnete Kenntnisse besitzt." Si contra PHILIPPUS ignotus et mediocris medicus est, eo magis discipulus ejus inter malos medicos recenseri potest.

Postremo nobis agendum est de medico, qui ab aliis scriptoribus cum laude memoratur, a JUVENALE vero vehementer culpatur Sat. X, vs. 221:

Quot THEMISON aegros autumno occiderit uno.

JUVENALEM non jocantem sed cum indignatione et contemtu de eo sic loqui inde apparet, quod cum pessimi generis hominibus eum conjungit totusque locus acerbitatis plenus est. Quis tamen fuerit ille THEMISON non convenit inter JUVENALIS interpretes. GRANGAEUS existimat eum fuisse Cyprium medicum, qui, teste ATHENAEO Lib. VII, 10 et Libr. X, pag. 438, D ANTIOCHO EPIPHANI in deliciis habitus esset. Cui equidem non assentior, quia nusquam memoriae proditum inveni hunc virum Romam migrasse. Ab aliis scriptoribus THEMISON memoratur, qui AUGUSTO imperante Romae vixerit et sectam novam medicinae condiderit, qui idem esse mihi videtur, quem RUPERTI Laodicenum Syrum fuisse dicit, quemque HEINRICHIUS ASCLEPIADIS auditorem vocat. In Scholiis THEMISON dicitur „archiater illius temporis, cui detrahit;" sed quia nusquam de medico hujus nominis inter aequales poëtae ulla mentio fit, h. l. clarissimum illum medicum significari existimo, qui sub AUGUSTO Romae floruit. GRANGAEUS autem de THEMISONE Cyprio agens laudat SENECAM *in Epist.* XCV, ubi tantum de THEMISONIS secta agitur, nulla tem-

poris ratione habita, nisi quod ejus nomen post ASCLEPIADEM ponitur, unde suspicari licet HEINRICHIUM non immerito THEMISONEM ASCLEPIADIS auditorem vocare, quod confirmatur loco Pliniano. SENECA autem l. l. medicinae artem grammaticae opponit et artium decreta medicinae praeceptis. Nec vero concedo GRANGAEO h. l. SENECAM egisse de THEMISONE Cyprio, qui sub ANTIOCHO EPIPHANE floruit; vixit enim ille rex seculo secundo ante CHRISTUM natum, ASCLEPIADES vero non diu ante AUGUSTUM. Si igitur, quod e SENECAE loco confici potest, THEMISONIS secta post ASCLEPIADIS floruit, de THEMISONE Cyprio sermo esse non potest, et vix dubitandum est quin de eo THEMISONE agatur, qui AUGUSTO imperante Romae floruit, quum praesertim PLINIUS nonnullis locis THEMISONEM, sub AUGUSTI imperio Romae viventem, maxima laude memoret, qui a CELSO quoque, ut legimus in notis BRITANNICI, tanquam optimus medicus commendatur. Memorabilis inprimis est locus PLINII e Libr. XXIX, cap. I s. 5, ubi legimus: „.... quam postea ASCLEPIADES, ut retu„limus, invenerat; auditor ejus THEMISON fuit seque „inter initia adscripsit illi, mox procedente aevi ne„quitia, sua et placita mutavit, sed et illa ANTONIUS „MUSA ejusdem auctoritate divi AUGUSTI, quem con„traria medicina gravi periculo exemerat." ASCLEPIADEM autem CICERO memorat Libr. I *de Oratore*, cap. XIV, § 62, ubi CRASSUS loquens inducitur: „Neque „vero ASCLEPIADES, is quo nos medico amicoque usi sumus cet.," unde quo tempore vixerit apparet. Hujus igitur auditorem THEMISONEM AUGUSTI aetate Romae floruisse admodum probabile est. E PLINII autem loco confici potest AUGUSTUM initio THEMISONIS praeceptis

obsecutum, deinde ANTONIO MUSAE, contraria docenti, se commisisse. Nonnulla exempla THEMISONIS medicinae et praeceptorum affert PLINIUS. Legimus enim Libr. XIV, cap. XVII, s. 21 usum potionis, quam oxymeli vocabant, damnatum esse a THEMISONE, quem summum auctorem dicit. Libr. XXV, cap. V, s. 23 memorat THEMISONEM helleborum quoque adhibuisse, sed tamen parcius dedisse quam posteriores, binas scilicet non amplius drachmas, quum sequentes vel quaternas dederint, auctoritate HEROPHILI. THEMISONEM scripta quoque edidisse legimus apud PLINIUM *H. N. Libr.* XXV, cap. VIII, s. 39. „Celebravit et THE„MISO medicus volgarem herbam plantaginem tanquam inventor volumine de ea edito." Apud MARTIALEM Libr. XII, ep. 20 THEMISO quidam memoratur, qui propter malos mores et libidinem culpatur; sed nulla causa esse videtur ad suspicandum huic quidquam commune esse cum nostro THEMISONE.

Mirandum igitur est cur JUVENALIS medicum, a PLINIO et CELSO magnopere laudatum et commendatum, tam acerba accusatione notaverit, nisi forte statuendum est eum THEMISONIS nomine usum esse pro quovis medico et illis verbis totam artem medicam derisisse, quam omnibus locis, quibus de ea agit, atro carbone notare eum videmus.

CAPUT SECUNDUM.

DE PRIMARIIS VIRIS, QUIQUE NOBILITATE, VIRTUTE BELLICA, DIVITIIS INCLARUERUNT.

---

§ 1. DE VIRIS PRINCIPIBUS.

Neque artium tantum et disciplinarum cultores, sed nobiles etiam potentesque viros acerba interdum ironia perstringit poëta, neque illos privatos tantum, sed vel reges ausus est suis verbis aggredi, quin ne imperatoribus quidem ipsis pepercit. Interdum quidem utitur nominibus fictis, saepius tamen addito nomine, vehementer nobiles viros carpit, aegre ferens morum corruptelam et malefacta, quibus nomine suo et civitate Romana indignos se praeberent. De imperatoribus autem accuratius exponere mihi propositum non est, sed breviter tamen quos quomodo in Satiris memoret videamus. De AUGUSTO non nisi in transitu mentionem facit, ubi de alia re agit, de CLAUDIO, ubi loquitur de libidinosa scelestaque ejus uxore MESSALINA et de ejus liberto NARCISSO, „indulsit cui Claudius omnia," eodemque modo de GALBA. TIBERII autem nomen nusquam legitur, sed Sat. X, vs. 84, quo loco agit de morte SEIANI, AIACEM eum vocat, quasi insanum. NERO contra mul-

tis locis maximo cum contemtu memoratur ejusque crudelitas, saevitia, libido, arrogantia, cetera vitia acerbissime perstringuntur. (1) Othonem autem nonnullis locis ridiculum reddit additis epithetis *pathici* et *vani*. Vitellii, Vespasiani, Titi nomina in Satiris non inveniuntur, neque usquam Domitiani nomen legimus; mirum autem non est poëtam hunc non nominasse in iis Satiris, quos sub saeva ejus tyrannide scripserit, sed etiam in Satiris post mortem Domitiani editis sub aliis tantum nominibns eum indicat; sic enim in Sat. IV et VI imperator iste *calvus Nero*, *Atrides*, *Dacicus*, *Germanicus* vocatur.

Praeter imperatores duorum regum barbarorum nomina inducuntur, Agrippae et Arviragi, de quibus paucis videndum est, priusquam ad privatos transeamus.

De Agrippa igitur legimus Sat. VI, vs. 156 sqq:

> . . . . . deinde adamas notissimus et Bernices
> in digito factus pretiosior; hunc dedit olim
> barbarus incestae, dedit hunc Agrippa sorori,
> observant ubi festa mero pede sabbata reges,
> et vetus indulget senibus clementia porcis.

Quae in Scholiis veteribus ad h. l. leguntur merae nugae esse mihi videntur. Primum enim Bernicen s. Berenicen Judaicam et Aegyptiam confundunt; deinde verba *dedit hunc Agrippa sorori* falso, ut mihi videntur, dicta esse putant de Julia, Augusti nepte,

---

(1) Videantur inprimis Sat. IV, vs. 137; Sat. VIII, vss. 170, 193, 212 („*ut dubitet Senecam praeferre Neroni*"), vs. 223 („*quod Nero tam saeva crudaque tyrannide fecit*") vs. 228; Sat. X, vs. 15; Sat. XII, vs. 129.

deque ejus fratre AGRIPPA. Totus enim locus tali interpretationi obstat, et duo postremi versus vix intelligi posse mihi videntur, si Scholiastae fidem praebemus. Facio igitur cum iis interpretibus, qui judicant h. l. mentionem fieri de BERENICE Judaica et de AGRIPPA ejus fratre. Verba enim *Agrippa sorori* appositio et explicatio sunt verborum *barbarus incestae.* Versibus autem postremis JUVENALIS consuetudines Judaeorum ridet, qui sabbata observabant et porcina carne abstinebant (1). Qui versus quum arctissime cohaereant cum proxime antecedentibus, vix dubium esse potest, quin AGRIPPA intelligatur Judaeorum rex.

Scriptores, quorum opera inprimis adeunda sunt in AGRIPPAE historia exponenda, sunt FLAVIUS JOSEPHUS, TACITUS, DIO CASSIUS, apud quos duo AGRIPPAE memorantur, major et minor, pater et filius; de hoc autem quum locus noster JUVENALIS procul dubio agat, de patre verbo tantum dicamus, quo ad filium transitus paretur. Huic autem AGRIPPAE, a TIBERIO in vincula conjecto, DIO CASSIUS narrat CALIGULAM avi HERODIS principatum reddidisse, quem CLAUDIUS auxisse fertur, qui honores etiam consulares AGRIPPAE tribuerit. Hujus autem apud FLAVIUM JOSEPHUM multis locis mentio fit, qui in aliis *Archaeol. Libr.* XVIII, cap. V, § 4 tradit AGRIPPAM, ARISTOBULI filium, uxorem duxisse HERODIS neptem, cui nomen esset *Κύπρος*, ex qua filias tres, quarum majorem natu BERENICEN, duos autem filios, AGRIPPAM et DRUSUM, procreaverit (2).

---

(1) Nugatur etiam Scholiasta, ubi dicit: »majoribus porcis parcunt; »nam minores manducant."

(2) Vid. praeterea FLAVIUS JOSEPHUS *Archaeol.* Libr. XVIII, capp. VI et VII; Libr. XIX, cap. IV, § 1, cap. V, § 1, cap. VI, § 1 cet.

Idem in *Actis Apostolorum* cap. XII HERODES appellatur et apostolum JACOBUM interfecisse dicitur. De ejus morte illa legimus apud TACITUM *Ann.* Libr. XIII, cap. XXIII: „Ituraeique et Judaei, defunctis regibus „SOHEMO atque AGRIPPA, provinciae Syriae additi." Quibus verbis tamen obstare videtur quod legimus apud FLAVIUM JOSEPHUM in *Archael. Libr.* XIX, cap. IX, imperatorem CLAUDIUM in Judaeam ἔπαρχον misisse CUSPIUM FADUM; nisi forte statuendum est eundem Syriae quoque praefectum fuisse, et hanc esse sententiam verborum, quae FLAVIUS JOSEPHUS paulo post addit: *τῶν δ' ἐν Συρίᾳ Ῥωμαϊκῶν ταγμάτων ἐπιλέξαι στρατιώτας κατ' ἀριθμούς, καὶ τὸν ἐκείνων ἀναπληρῶσαι τόπον.*

Haec igitur de patre: jam videamus de filio AGRIPPA, qui frater BERENICES apud JUVENALEM memoratur. Hic autem quo tempore pater mortem occubuit Romae educabatur apud imperatorem CLAUDIUM, qui primo AGRIPPAM regia cum dignitate in Judaeam mittere studuit, ut narrat JOSEPHUS *Archaeol.* Libr. XIX, cap. IX, § 2, addens; *ἅμα βουλόμενος ἐμπεδοῦν τοὺς ὀμωμοσμένους ὅρκους:* postea tamen mutato consilio, ut supra vidimus, CUSPIUM FADUM ἔπαρχον misit. AGRIPPA igitur Romae remansit, nec diu post ab imperatore CLAUDIO impetravit, ut Judaeorum legatis quae petebant concederet; venerant enim petituri ne vestitus pontificalis, ut jusserat FADUS, in arce Antonia deponeretur. Quum autem rex Chalcidis HERODES, AGRIPPAE majoris frater, anno octavo imperii CLAUDII mortuus esset, AGRIPPAE minori imperator illud regnum dedit, quod tamen quatuor annis post ei ademit, PHILIPPI tetrarchiae, Bataneae, Trachonitidi eum praeficiens; quod donum quum accepisset AGRIPPA, sorores suas DRU-

SILLAM et MARIAMNEN in matrimonium dedit AZIZO, Emesorum regi et JULIO ARCHELAO, CHELCIAE filio. NERONIS quoque gratia usum esse AGRIPPAM apparet e FLAVII JOSEPHI *Archaeol.* Libr. XX, cap. VIII § 4, qui narrat primo NERONIS imperii anno ejus regno additam esse partem Galilaeae cum nonnullis urbibus (1). Paulo post rex AGRIPPA Hierosolymis in loco editiore magnum sibi exstruxit palatium, unde, ut narrat JOSEPHUS, *ἀφεώρα κατακείμενος τὰ κατὰ τὸ ἱερὸν πρασσόμενα.* Quod quum a moribus majorum alienum esset, Judaei murum aedificarunt, qui impediret quominus AGRIPPA in templum inspiceret. Quum autem simul Romanum praesidium paene conspectu templi excluderetur, FESTUS, qui illo tempore Judaeae erat procurator, murum dirui jussit; sed tamen mox Judaeis concessit, ut de ea re legatos Romam mitterent; quibus auditis NERO, precibus uxoris POPPAEAE permotus, morem gessit Judaeis, ne murus dirueretur.

ALBINO autem procuratore Judaeae AGRIPPA urbem Caesaream in NERONIS honorem Neroniadem vocavit, Berytum magnis suis impensis theatro donavit, frumentum oleumque inter cives distribuit, urbem statuis ornavit eoque totum fere regium splendorem transtulit, quod Judaei, AGRIPPAE subditi, indignabantur, Hierosolymis quippe a rege neglectis. AGRIPPAM quoque pontifices maximos creasse tribus JOSEPHI locis legimus (2). Non ita multo post AGRIPPA Alexandriam profectus est, ut ALEXANDRO, quem NERO Aegypto

(1) Cf. FLAVIUS JOSEPHUS in *Bello Judaico* Libr. II, cap. XII, § 8 et cap. XIII § 2.

(2) Vid. FLAVIUS JOSEPHUS in *Archaeol.* Lib. XX, cap. VIII § 11 et cap. IX. § 1 et § 4.

praefecerat, gratularetur; ex quo itinere quum rediret, audivit se absente saevitia procuratoris GESSII FLORI magnum exortum esse tumultum Hierosolymis. Quo quum rediisset, tumultum quidem vix sedavit impedivitque ne Judaei Romanis bellum inferrent; quum vero iis persuadere conaretur, ut FLORO obedirent, donec successor ab imperatore missus esset, conviciati ei sunt, quin etiam nonnulli lapides in eum conjecerunt, ita ut in regiam se reciperet. Tumultuantibus exinde Judaeis, AGRIPPA, quippe qui aeque Romanis ac civibus suis faveret, eam factionem auxilio suo adjuvit, cui pax cum Romanis cordi erat, nec tamen impedire potuit, quominus bellum exoreretur cum Romanis, quod Judaeis innumeras calamitates, Hierosolymis exitium attulit. TITO autem, VESPASIANI filio, in Judaea bellum gerente, AGRIPPA auxilio ei erat et una cum Romanis contra Judaeos pugnavit (1). VESPASIANUS autem quum in Hierosolymis obsidendis occupatus nuntium accepisset NERONEM esse mortuum et GALBAM imperatorem esse creatum, filium suum TITUM Romam misit novum imperatorem salutaturum, qui mox profectus est comitante rege AGRIPPA. Quum vero in medio itinere certiores essent facti GALBAM interfectum esse et OTHONEM ei successisse, TITUS quidem ad patrem rediit, AGRIPPA vero Romam perrexit proficisci, quo una cum sorore BERENICE advenit. Postquam autem VESPASIANUS imperator creatus est, AGRIPPA et BERENICE Romae in magno honore vixerunt, de quo legimus apud DIONEM CASSIUM Libr. LXVI, pag. 752 B: „*καὶ ὁ μὲν στρατηγικῶν „τιμῶν ἠξιώθη, ἡ καὶ ἐν τῷ παλατίῳ ᾤκησε, καὶ τῷ Τίτῳ*

(1) cf. TACITUS in *Hist.* Libr. V, cap. I.

„συνεγίγνετο." BERENICE enim mulier fuisse videtur incastis moribus, quemadmodum JUVENALIS l.l. eam *incestam* vocat, quippe quae cum fratre AGRIPPA rem habuisse dicatur (1), quamque TITUS quoque adamavit sed postremo a se dimisit, quum intelligeret populo Romano amorem illum indignum videri.

Ejusdem AGRIPPAE mentio quoque fit in *Actis Apostolorum* cap. XXV sq., ubi PAULUS coram AGRIPPA, BERENICE, FESTO procuratore, notissimam illam orationem habuisse narratur, qua audita AGRIPPA exclamavit apostolum paene sibi persuasisse ut fieret Christianus. Ejusdem etiam mentionem facit TACITUS, qui *Annal.* Libr. XIII, cap. VII tradit A. U. 807 (p. Chr. 54) a NERONE regibus AGRIPPAE et ANTIOCHO mandatum esse, ut copias pararent, quibus Parthis bellum inferrent. Tum *Hist.* Libr. II, cap. LXXXI legimus AGRIPPAM Roma, quo, ut vidimus, NERONE mortuo se contulerat, arcessitum esse a VESPASIANO, quo tempore in animo illi esset imperatoriam dignitatem sibi assumere, sed quum imperator factus esset VESPASIANUS, eundem cum eo Romam rediisse, consequi mihi videtur ex iis, quae supra vidimus.

Haec fere sunt quae de AGRIPPA minore indagare potui; nam quae fuerint ejus fata FLAVIIS imperantibus, ubi et quando mortuus sit, frustra in scriptoribus quaesivi.

ARVIRAGUS memoratur Sat. IV, vs. 127:

> Regem aliquem capies, aut de temone Britanno
> excidet Arviragus.

---

(1) Vid. FLAVIUS JOSEPHUS Archaeol. Libr. XX, cap. V § 3: „φήμης „ἐπισχούσης ὅτι τἀδελφῷ συνείη.

His verbis DOMITIANUM alloquitur FABRICIUS VEJENTO, quum senatus haberetur, qui de rhombo coquendo decerneret. Captum enim piscem, quem vocat *peregrinam beluam*, omen esse dicit magni triumphi, ac portendere fore ut rex aliquis capiatur aut princeps quidam Britannus vincatur et regno vitaque privetur. ARVIRAGUS igitur DOMITIANI aetate rex vel princeps Britanniae fuisse videtur, de quo tamen neque apud TACITUM, neque apud SUETONIUM, nec apud ullum e Romanis Graecisve scriptoribus quidquam praeter h. l. memoratum inveni. Apud nonnullos interpretes traditionem quandam legimus, eum ab uno apostolorum vel a JOSEPHO ARIMATHAEO ad Christianam religionem amplectendam adductum esse, cui ille potestatem dedisset in regno suo evangelium praedicandi. Cujus narrationis, cui vix tamen fides habenda est, auctorem RUPERTIUS laudat POLYDORUM VERGILIUM. Nisi igitur in antiquissimae Britannorum historiae scriptoribus, ut suspicatur HEINRICHIUS, aliquid de ARVIRAGO memoretur, nihil certi de eo afferri poterit.

---

§ 2 DE BELLI DUCIBUS.

Horum agmen ducat CORBULO, de quo legimus Sat. III vs. 251:

> Corbulo vix ferret tot vasa ingentia, tot res
> impositas capiti, quae recto vertice portat
> servulus infelix cet.

Nugatur Scholiastes putans h. l. sermonem esse aut de athleta quodam, aut, quod absurdius etiam est, de genere navis. CORBULO autem, cujus nomine utitur poëta ad validum robustumque virum indicandum, intelligendus esse mihi videtur CN. DOMITIUS CORBULO, qui CALIGULA, CLAUDIO, NERONE imperantibus, strenuum intrepidumque belli ducem se praestitit, ut docemur a TACITO, PLINIO, DIONE CASSIO. De hujus autem origine quaedam legimus apud PLINIUM *Hist. Nat.* Libr. VII, cap. V s. 4: „VESTILIA C. HERDICI „ac postea POMPONI atque ORFITI, clarissimorum ci„vium conjux, ex his quattuor partus enixa septumo „semper mense, genuit SUILLIUM RUFUM undecimo, „CORBULONEM septumo, utrumque consulem, postea CAE-

SONIAM GAI principis conjugem octavo." Quum igitur CORBULONIS sororem uterinam uxorem duxisset imperator CALIGULA, non mirum est huic imperatori in consiliis eum adfuisse. Legimus enim apud DIONEM CASSIUM Libr. LIX, pag. 651 B, CN. DOMITIUM CORBULONEM, CALIGULAE quum novae pecuniae exactionis auctor fuisset, consulem esse factum. CORBULO autem, jam TIBERIO imperante senator, (1) propter malum viarum statum curatoribus viarum negotia praebuerat tanta vehementia, ut vel senatui molestus esset. CAIO deinde imperatori consilium dedit, ut curatores viarum, non vivos tantum sed etiam mortuos, multaret ob male administratam pecuniam, quam ad vias reficiendas accepissent. Cui consilio obsecutus CALIGULA aerarium pecunia auxit, et CORBULONEM consulem creandum curavit. Quae res tamen postea, imperante CLAUDIO, crimini data est CORBULONI, ita ut CLAUDIUS pecuniam, illo nomine solutam, multatis redderet, quam partim ex aerario depromsit, partim ab ipso CORBULONE exegit.

Idem tamen imperator A. U 800 (p. Chr. 47) CORBULONEM ducem misit in Germaniam, ut bellum gereret adversus Chaucos, qui duce GANNASCO Caninefate incursiones fecerant in provinciam Romanam. Cujus belli fata enarrat TACITUS *Annal.* Libr. XI, cap. XVIII, CORBULONEM feliciter adversus GANNASCUM bellum gessisse et maxima cum severitate disciplinam militarem

(1) CORBULONEM senatorem fuisse confici etiam potest ex loco SENECAE, in libro *de Constantia sapientis* pag. 184 A dicentis: »In senatu flentem »vidimus FIDUM CORNELIUM, NASONIS generum, cum illum CORBULO *stru»thiocamelum depilatum* dixisset." Gener ille NASONIS, ut legimus in OVIDII *Tristium* Libr. I in *Libycis oris* fuerat, ubi struthiocameli inveniuntur. Propter corporis autem habitum hoc nomen ei dedisse CORBULONEM facile intelligitur.

restituisse, cujus severitatis exemplum illud affert: „ferunt que militem, quia vallum non accinctus, atque „alium, quia pugione tantum accinctus foderet, morte „punitos." Quae si vera sint, quod ipse TACITUS dubitare videtur, crudelis potius quam severus sit habendus. Ceterum nimis asperum parumque humanum eum fuisse aliunde satis constat. Rebellione etiam Frisiorum sedata CORBULO GANNASCUM per sicarios occidendum curavit, qua caede belli gloriam maculavit et, ut dicit TACITUS, „semina rebellionis praebebat," quum Chauci ob tantum facinus indignati bellum adversus Romanos renovaturi esse viderentur. Praeterea imperator CLAUDIUS, rumoribus quibusdam de CORBULONE evulgatis, metu ne sibi periculum ex ea re immineret, referri praesidia cis Rhenum jussit. Quo nuntio accepto CORBULONEM dixisse tantum: „beatos quondam duces Romanos!" et signum receptui dedisse legimus apud TACITUM *Annal.* Libr. XI, cap. XX. Ne tamen militibus suis otium inutile esset, fossam Rhenum inter et Mosam ab iis ducendam curavit. Hinc Romam reverso imperator triumphum concessit. Eadem fere quae TACITUS, tradit quoque DIO CASSIUS Libr. LX, pag. 685 de CORBULONIS expeditione in Germaniam, sed hoc uno ab illo differt, quod narrat CORBULONEM quum post triumphum denuo copiis praeesset fossam illam duxisse. Tum indignantibus illis CORBULONIS verbis hanc etiam rationem addit: „*ἐς δήλωσιν ὅτι τοῖς μὲν ἀκινδύνως ἀνδραγαθίζεσθαι ἐξῆν, αὐτὸς δ' ὑπὸ τοῦ αὐτοκράτορος διὰ τὸν φθόνον ἀνεποδίσθη.*

Idem NERONI quoque fidus fuit, a quo Armeniae praefectum fuisse apud scriptores laudatos legimus qua de re paulo ulterius exponendum esse videtur.

A. U. 807 (p. Chr. 54) Parthi duce VOLOGESO, invasionem fecerunt in Armeniam, cujus nuntio allato, sociorum reges in Oriente, in iis AGRIPPA et ANTIOCHUS, copias parare jussi sunt et CORBULO a NERONE missus est, qui bellum adversus Parthos gereret, quod Romae maximo cum gaudio auditum est, cujus rei hanc causam affert TACITUS *Annal.* Libr. XIII, cap. VIII: „videbaturque locus virtutibus patefactus." Nec spes eos fefellit; CORBULO enim in Asia non minus bonum intrepidumque ducem se praestitit, quam ante in Germania. Belli autem Parthici res gestas breviter enarremus, ut a TACITO et a DIONE CASSIO memoriae proditae sunt. Ab utroque autem scriptore DOMITIUS ille CORBULO magnopere laudatur (1), qui a DIONE Libr. LXI sub fin. dignus vocatur, qui cum veteribus Romanis comparetur ob corporis vires, fortitudinem, prudentiam, justitiam, fidem et in suos et in hostes, quum genere etiam clarus celebratur. Et legimus apud TACITUM *Annal.* Libr. XIII, cap. VIII: „corpore ingens, verbis magnificis et super „experientiam sapientiamque etiam specie inanium validus." Eundem Libr. XIV, cap. LVIII dicit praecipuum inter claros et insontes. Nec mirum est ejusmodi virum, qui tantis laudibus a scriptoribus extollatur cuique nil nisi severitas nimia crimini vertatur, aemuli patientem non fuisse, ut docemur a TACITO *Annal.* Libr. XV, cap. V. Tam strenuum autem belli ducem NERO profecto non misisset ad bellum periculosissimum gerendum, nec maximis copiis praefecisset, nisi,

(1) Laudatur quoque ab AMMIANO MARCELLINO *Rerum Gestarum* Libr. XV, cap. II his verbis: „.... ut quondam DOMITIUS CORBULO dicitur „caesus in colluvione illa Neroniani seculi, provinciarum fidus defensor „et cautus."

quod affirmat Dio Cassius l.l., fidum sibi cognovisset. Jam vero videamus de rebus in Asia gestis.

Corbuloni igitur in Asiam properanti Quadratus Ummidius, Syriae legatus, obvius venit, inter quos mox dissensio orta est, quum utroque Vologesum monente, ut pacem quam bellum mallet, obsides Parthorum Corbuloni traderentur, quam ob rem Ummidius questus est, ut tradit Tacitus, „praerepta quae suis consiliis pa„travisset." Imperator autem Nero, his auditis, ne dissensio ducum rebus Romanis noceret, jussit, ut legimus apud Tacitum *Annal.* Libr. XIII, cap. IX: „ob „res a Quadrato et Corbulone prospere gestas laurum fascibus imperatoriis addi."

A. U. 811 (p. Chr. 55) iterum Corbulo in Armenia exercitui Romano praefuit et bellum gessit contra Tiridatem, Vologesi fratrem. Quo imperio disciplinam restituit, et senioribus quique valetudine infirma essent dimissis novas copias contraxit: hieme quamvis saeva exercitum sub pellibus retinuit, signa relinquentes maxima cum severitate punivit. Nec ceteros tantum jussisse, sed ipsum quoque ducem exemplum militibus dedisse legimus apud Tacitum *Annal.* Libr. XIII, cap. XXXV, tali modo: „Ipse cultu levi, capite intecto, in agmine, „in laboribus frequens adesse, laudem strenuis, solatium „invalidis, exemplum omnibus ostendere." Vere autem ineunte, severe animadvertit Corbulo in primipilum Pactium Orphitum, qui temere et contra jussum imperatoris cum hostibus congressus magna clade affectus erat. Interim Tiridates Armeniam populabatur, quem quum Corbulo frustra ad proelium provocasset, copias suos divisit, ut diversa simul loca invadere posset. Nec diu post legatos ad Corbulonem misit Tiridates,

qui rogarent cur vetere Armeniae possessione depelleretur, additis minis fore ut frater VOLOGESUS bellum adversus Romanos renovaret. Quibus auditis CORBULO ei suasit: „precibus CAESAREM aggredi." Expugnatis deinde castellis quibusdam in Armenia, CORBULO statuit caput ipsum Artaxata aggredi, quo quum exercitum duceret, TIRIDATES frustra conatus est copiis suis Romanorum iter prohibere. Ubi autem ventum est ad Artaxata, urbs illa sponte Romanis sese tradidit, quae incensa deinde et solo aequata est, ne hostibus in posterum praesidio esse posset; civibus tamen victor pepercit (1). Quibus feliciter gestis CORBULO exercitum duxit ad Tigranocerta oppugnanda, in quo itinere Mardos fugavit, sed in regione Taurannitio ipse vix periculum vitavit, quod a sicario barbaro ei imminebat. Deinde civibus non obstantibus celeri negotio praesidiis victis Tigranocerta cepit ac TIGRANI, Romanorum amico, tradidit addito ei praesidio. Deinceps in Syriam se contulit, quae post mortem UMMIDII ipsi permissa erat.

Quum autem TIGRANES A. U. 815 (p. Chr. 62) Adiabenen popularetur, VOLOGESUS, rex Parthorum, bellum adversus Romanos renovavit. Jam ipse in Syria CORBULONEM aggredi statuit, MONOBAZUM vero, Adiabenorum regem, et MONAESUM Parthum in Armeniam misit contra TIGRANEM (2). Quo cognito CORBULO TIGRANI auxilia misit, ipse maxima diligentia Syriam defendere paravit. Utraque tamen hostium expeditio irrita fuit, ita ut VOLOGESUS demisso animo impetraret, ut legatos

(1) Vid. TACITUS *Annal.* Libr. XIII, cap. XLI: »Sed oppidani, portis sponte patefactis, se suaque Romanis permisere; quod salutem ipsis tulit."

(2) Vid TACITUS *Annal.* Libr. XV, cap. II collato DIONE CASSIO Libr. LXII initio.

Romam mitteret de firmanda pace et de Armeniae regno petendo, indutiis interim a CORBULONE ei concessis.

Interea CAESENNIUS PAETUS (1) a NERONE ipsius CORBULONIS rogatu missus est, qui Armeniae praeesset, quum ipse CORBULO in Syria res administraret. Nec multo post quum legati, non impetratis quae peterent, Roma rediissent, VOLOGESUS bellum renovavit, qui frustra conatus Syriam invadere, quae provinciá a CORBULONE acriter defendebatur (2), bellum in Armeniam transtulit, ubi PAETUS tanta imperitia et temeritate bellum gessit (3), ut a Parthis incluso auxilium a CORBULONE ei petendum esset; qui quum non properaret, foedere minus honesto cum hostibus inito, cum reliquiis sui exercitus CORBULONI obviam factus, huic persuadere non potuit, ut junctis copiis Armeniam invaderent.

VOLOGESUS interim MONAESUM ad CORBULONEM misit, inter quos, colloquio in ponte fluminis Euphratis habito, convenit Romanos regionem trans Euphratem, Parthos vero Armeniam esse relicturos, quum iterum legati Parthorum ad NERONEM adirent.

His autem A. U. 816 (p. Chr. 63) Romam venientibus responsum esse legimus apud DIONEM CASSIUM: „*τὴν Ἀρμενίαν δώσειν τῷ Τηριδάτῃ, ἂν ἐς τὴν Ῥώμην ἀνέλθῃ.*" TACITUS tamen paulo aliter rem exponit in *Annal. Libr.* XV, cap. XXV hoc modo: „Irriti igitur „remittuntur, cum donis tamen, unde spes fieret, non „frustra eadem oraturum TIRIDATEM, si preces ipse attu-

(1) DIO CASSIUS l. l. eum vocat *Λούκιον δὲ Σένιον Παῖτον*, non recte ut mihi videtur; legendum esse judico *Λούκιον Καισέννιον Παῖτον*.

(2) Vid. TACITUS *Annal.* Libr. XV, cap. IX.

(3) Vid. TACITUS *Annal.* Libr. XV, cap. VII—XVII; DIO CASSIUS Libr. LXII initio.

„lisset cet." Bello igitur cum Parthis denuo imminente, NERO PAETUM revocavit et CORBULONEM omnibus copiis praefecit magnamque ei dedit potestatem; legimus enim apud TACITUM l. l.: „in tantum ferme „modum aucta potestate, quem populus Romanus CN. „POMPEIO bellum piraticum gesturo dederat." DIO CASSIUS addit NERONI in animo fuisse, ut ipse expeditionem susciperet, sed eum malo omine absterritum esse (1). CORBULO igitur bellum adversus Parthos parat et exercitum in Armeniam ducit. Nec multo post VOLOGESUS indutias petivit et TIRIDATES cum CORBULONE colloquium habuit in oppido Rhandea, ubi dux Romanus magno cum splendore regium juvenem excepit, qui promisit se Romam iturum esse, ut a NERONE Armeniam sibi peteret. Obsides etiam VOLOGESUS et MONOBAZUS CORBULONI dederunt, ita ut jam bellum compositum esset: quo nuntio Romam allato, imperator triumphavit; qui vero bellum ad exitum perduxerat a DIONE, ut vidimus, magnopere laudatur, sed hoc unum tamen ei crimini vertit Libr. LXIII, initio: „τοὺς μέντοι „ἄλλους ἀνθρώπους καθ' ἓν τοῦτο μόνον ὁ Κορβούλων ἐλύπη„σεν, ὅτι τὴν πρὸς τὸν Νέρωνα πίστιν ἐτήρησεν." Ejusdem sententiae fuisse TIRIDATEM narrat Libr. LXIII, pag. 718 C, qui quum NERONEM cithara canentem audivisset aurigamque in circum descendentem vidisset, eum detestatus est, CORBULONEM vero laudavit, quem tamen culpavit „ὅτι τοιοῦτον δεσπότην ἔχων ἔφερεν," quam ob rem NERONI dixisse fertur: „ἀγαθὸν, ὦ δέσποτα, ἀνδρά„ποδον Κορβούλωνα ἔχεις." Quale autem judicium barbari de CORBULONE ferrent, quum bellum Parthicum

(1) Vid. DIO CASSIUS Libr. LXII, pag. 711 E: „ἐπεὶ δὲ θύων ἔπεσεν."

gereret, conficitur e TACIT. *Annal. Libr.* XV, cap. XXVIII: „Non infensum nec cum hostili odio COR-„BULONIS nomen etiam barbaris habebatur, eoque con-„silium ejus fidum credebant."

Nonnulla praeterea de eodem memorata invenimus apud PLINIUM *Hist. Nat.* Libr. VI, cap. VIII, s. 8: „.... nunc reddatur ingens in mediterraneo sinus, in „quo multa aliter ac veteres proditurum me non eo „infitias, anxia perquisita cura, rebus nuper in eo situ „gestis a DOMITIO CORBULONE regibusque inde missis „supplicibus aut regum liberis obsidibus." Diligenter enim locorum naturam eum observasse apparet e PLINII Hist. Nat. Libr. V, cap. XXIV, s. 20: „Et de Eu-„phrate hoc in loco dixisse aptissimum fuerit. Oritur „in praefectura Armeniae majoris Caranitide, ut prodi-„dere ex iis qui proxime viderant, DOMITIUS CORBULO „in monte Aba cet." Eundem A. U. 812 (p. Chr. 59) defectum solis observasse idem PLINIUS tradit Libr. II, cap. LXX, s. 72: „Solis defectum VIPSTANO et „FONTEIO coss. qui fuere ante paucos annos factum „pridie Kalendas Maias Campania hora diei inter sep-„tumam et octavam sensit, CORBULO dux in Armenia „inter horam diei decumam et undecimam prodidit „visum, circuitu globi alia aliis detegente et occultante."

Restat ut de CORBULONIS morte agamus, quae a DIONE CASSIO et a TACITO memoratur, quorum hic *Hist. Libr.* II, cap. LXXVI obiter tantum tradit eum a NERONE esse trucidatum, ille vero Libr. LXIII, pag. 722 D rem accuratius enarrat. NERO autem quum iter faceret in Graeciam, nonnullos ad se arcessivit, quos ad mortem ducendos curavit, quippe quorum opibus inhiaret; pecunia enim indigebat ad Isthmum Pelo-

ponnesi perfodiendum, quod consilium in mentem ei venerat. In horum numero fuit etiam CORBULO, quem ante in magno semper honore habuisse NERONEM dicit DIO CASSIUS l. l.: „*καὶ τὰ τε ἄλλα καὶ πατέρα καὶ εὐερ-*„*γέτην αὐτὸν ἀεὶ ὀνομάζων*": TACITUS autem l. l. addit NERONEM fortissimum illum ducem timuisse. CORBULO igitur arcessitus Cenchreas se contulit, nec tamen in NERONIS conspectum admissus est, cujus rei causam DIO CASSIUS his verbis addit: „*κιθαρῳδήσειν γὰρ* „*ἤμελλεν, ὥς τινες λέγουσι, καὶ οὐχ ὑπέμεινεν αὐτῷ τὸ* „*ὀρθοστάδιον ἔχων ὀφθῆναι.*" Quo cognito intelligens, quo in se animo esset imperator, addita voce *ἄξιος*, mortem sibi conscivit CORBULO gladio, quem, quum ipse inermis esset, a quodam ex iis qui aderant surripuerit. Tum demum intellexit se errasse et quod principi citharoedo pepercisset et quod inermis ad eum venisset.

FUSCUS tali modo inducitur Sat. IV, vs. 112:

Et qui vulturibus servabat viscera Dacis
Fuscus, marmorea meditatus proelia villa.

CORNELIUM FUSCUM, de quo l. l. eleganti ironia mentio fit tanquam de divite senatore temporis DOMITIANI, saepius etiam rebus bellicis praefuisse docemur a TACITO et SUETONIO. Ille enim in *Hist. Libr.* II, cap. LXXXVI tradit eum, quo tempore VITELLIUS et VESPASIANUS de imperio contenderent, Pannoniae procuratorem fuisse et VESPASIANI partes esse secutum. Ex quo loco quum appareat qualis vir fuerit FUSCUS, ipsius TACITI verba addam: „Sed procurator aderat „CORNELIUS FUSCUS, *vigens aetate, claris natalibus.* „*Prima juventa quietis cupidine senatorium ordinem* „*exuerat.* Idem pro GALBA dux coloniae suae eaque

„opera procurationem adeptus, susceptis VESPASIANI „partibus, *acerrimam bello facem praetulit: non tam „praemiis periculorum quam ipsis periculis laetus*, pro „certis et olim partis nova, ambigua, ancipitia malebat." FUSCUS igitur senatorio ordine abdicato quietus vixisse videtur in colonia sua (1), sed tempore bellorum civilium, quae NERONE mortuo exorta sunt, otiosam vitam missam faciens, ducem acerrimum et periculorum amantissimum se praestitit, quod magis ingenio ejus convenisse docet TACITI l. l. Quum autem FLAVIUS VESPASIANUS in Oriente imperator a legionibus esset creatus, in Pannonia una cum ANTONIO PRIMO militibus suis persuasit, ut relictis VITELLII partibus VESPASIANUM imperatorem salutarent. Quod quare fecerit FUSCUS legimus apud TACITUM in *Hist. Libr.* III, cap. IV hoc modo: „Proxima CORNELII FUSCI auctoritas. Is „quoque inclementer in VITELLIUM invehi solitus, nihil „spei sibi inter adversa reliquerat." Haec igitur quum A. U. 822 (p. Chr. 69) in Pannonia agerentur, paulo post LUCILIUS BASSUS, classis Ravennatis praefectus, VITELLIUM prodidit et classiariis persuasit, ut ad VESPASIANI partes transirent; ipse autem, ut tradit TACITUS *Hist. Libr.* III, cap, XII: „pudore seu metu, „quisnam exitus foret, intra domum opperiebatur." Quum vero pauci, qui VITELLIO fideles fuerant, interfecti essent, BASSUS palam proditionis fautorem se gessit; nec tamen ipsum classiarii praefectum sibi creaverunt, sed CORNELIUM FUSCUM, qui propere se iis praebuerat. Is autem, ut a TACITO docemur, eodem anno

(1) Quae fuerit illa colonia non constat inter TACITI interpretes, quorum nonnulli suspicantur in *Annal. Libr.* XVI parte extrema, quae periit, de hac re mentionem esse factam.

Ariminum terra marique aggressus est, ad quem locum defendendum FABIUS VALENS, dux VITELLII, aliquot cohortes miserat. Vitellianis brevi post ubique fugatis et ipso VITELLIO necato, VESPASIANUS imperator factus, belli duces, qui pro eo fortiter pugnaverant, remuneratus est, in quibus CORNELIUS FUSCUS insignia praetoria accepit.

Eidem FUSCO, praefecto cohortium praetorianarum, SUETONIUS *in vita Domitiani* cap. VI narrat imperatorem illum belli Dacici summam commisisse, in quo bello ab hostibus oppressus interfectus sit. Ad cujus mortem alludit JUVENALIS l. l. et apud MARTIALEM Libr. VI, ep. LXXVI illud epitaphium legimus:

Ille sacri lateris custos Martisque togati,
  credita cui summi castra fuere ducis,
hîc situs est Fuscus. Licet hoc, Fortuna, fateri
  non timet hostiles jam lapis iste minas.
Grande jugum domita Dacus cervice recepit,
  et famulum victrix possidet umbra nemus.

Quod autem hunc ridet JUVENALIS, sic in Scholiis legimus: „Notat autem eum, quia, cum luxuria diffluereret, inter dilicias bellorum actus exercebat." Ejusdem sententiae HEINRICHIUS est, qui dicit: „Der Mann war „ohne Kriegserfahrung, und hatte bis dahin zurückgezogen auf seiner prachtigen villa gelebt, wo er nur „hätte bleiben sollen," Quod tamen judicium nimis severum nec plane verum esse mihi videtur, quia et in bellis civilibus acrem ducem se praestitit, ut TACITUS nos docuit, et Dacos domuit, ut conficitur e loco MARTIALIS. Verba autem „marmorea meditatus proelia „villa," illa tempora respicere mihi videntur, quum, ut

vidimus, deposita senatoria dignitate, in colonia sua otiosam vitam degebat.

Postremo de VERGINIO et de VINDICE mentionem facit poëta Sat. VIII, 221 sq,

. . . . . Quid enim Verginius armis
debuit ulcisci magis, aut cum Vindice Galba,
quod Nero tam saeva crudaque tyrannide fecit.

JULIUS VINDEX et L. VERGINIUS RUFUS, belli duces sub NERONE et in bellis civilibus, quae post hujus mortem exorta sunt, saepius apud scriptores memorantur, quorum res gestas expositurí, ordiamur a VINDICE. Hunc igitur Galliae praefectum a NERONE defecisse legimus, qua de re agunt DIO CASSIUS Libr. LXIII et SUETONIUS *in vita Neronis*, quorum ille C. JULIUM VINDICEM ob magnas corporis vires, prudentiam, rei militaris peritiam, audaciam laudat dicitque eum fuisse: „*Γαλάτης ἀνὴρ, ἐκ μὲν προγόνων τοῦ βασιλικοῦ γένους, „κατὰ δὲ τὸν πατέρα βουλευτὴς τῶν Ῥωμαίων.*" Is quum a NERONE desciscere statuisset, Gallorum multitudine convocata, orationem habuit, in qua imperatoris saevitiam et infamiam vividis coloribus depinxit Gallosque incitavit, ut NERONEM imperio exuerent atque ita orbi terrarum redderent libertatem. Nec spes eum fefellit, quum omnes ejus dicta comprobarent. Quam Galliarum seditionem NERO quum Neapoli cognovisset, „die ipso," ut dicit SUETONIUS, „quo matrem occiderat," initio nihili fecit, post octo demum dies, iratus ob contumeliam a VINDICE sibi illatam (1), per epistolam senatui man-

(1) Legimus autem apud SUETONIUM *in vita Neronis*, cap. XLI: Nihil »autem aeque doluit, quam ut malum se citharoedum increpitum, ac »pro NERONE AËNOBARBUM appellatum."

davit, ut se ulciscerentur; postremo autem frequentibus defectionum nuntiis perterritus, Romam rediit. Hujus autem seditionis praesagium tradit TACITUS *Annal.* Libr. XV, cap. LXXIV: „Ipse eum pugionem (1) apud „Capitolium sacravit inscripsitque *Jovi Vindici.* In prae„sens haud animadversum; post arma JULII VINDICIS ad „auspicium et praesagium futurae ultionis trahebatur." Non diu post NERO praemium promisit ei, qui VINDICEM occidisset, quo audito hic jocans dixisse fertur a DIONE: „ὁ Νέρωνα ἀποκτείνας τήν τε κεφαλήν αὐτοῦ „κομίσας ἐμοί, τήν ἐμήν ἀντιλήψεται." VINDICI autem in animo non fuisse, ut imperio poteretur, inde conficitur, quod legimus (2) eum GALBAE, qui Hispaniis praeesset, imperium obtulisse, qui deinde a militibus suis imperator salutatus sit. At VERGINIUS RUFUS, qui Germaniae inferiori erat praefectus, exercitum duxit contra VINDICEM et urbem Vesontionem obsidere coepit; sed paulo post, remotis arbitris, colloquium habuit cum VINDICE, qui, ut suspicatur DIO CASSIUS, ei persuasit ut secum conjuraret in NERONEM. Quum vero VINDEX exercitum duxisset ad Vesontionem, quasi urbis occupandae consilium haberet, milites VERGINII, hostem appropinquare rati, injussu ducis eum aggressi sunt magnamque ejus exercitus partem trucidaverunt, qua re perturbatus VINDEX ipse sibi manus intulit.

Miram VINDICIS accusationem legimus apud PLINIUM *Hist. Nat.* Libr. XX, cap. XIV, s. 57 dicentem: „Ita

---

(2) Narratur autem h. l. NERO pugionem sacrasse quo FLAVIO SCAEVINO in animo fuerat imperatorem interficere, cf. TACITUS *Annal.* Libr. XV, cap. LIV sqq.

(3) Vid. DIO CASSIUS Libr. LXIII, pag. 725 C, et SUETONIUS *in vita Galbae* cap. IX.

„certe ferunt, PORCI LATRONIS, clari inter magistros „dicendi, adsectatores similitudinem coloris studiis con„tracti imitatos, et paulo ante JULIUM VINDICEM, ad„sertorem illum a NERONE libertatis, captatione testa„menti sic lenocinatum." Apud MARTIALEM quoque Libr. IX, ep. XLIII sq. VINDEX quidam memoratur, qui tamen non idem esse videtur, ac JULIUS ille VINDEX, de quo hîc agimus; nam MARTIALIS non de belli duce agit, sed de docto quodam viro suae aetatis.

VERGINIUM autem RUFUM consulatu perfunctum esse cum MEMMIO REGULO A. U. 816 (p. Chr. 63), imperante NERONE, tradit TACITUS *Annal. Libr.* XV, cap. XXIII. De hujus Germaniae praefectura, atque expeditione contra VINDICEM suscepta vidimus. Cujus quidem mortem aegre tulisse legimus; nec tamen statim ad GALBAM defecit, neque etiam principatum ab exercitu ad se delatum accepit (1). Narrat enim DIO CASSIUS VERGINIUM militibus, Caesarem et Augustum eum declarantibus, tandem persuasisse, ut auctoritatem senatui populoque restituerent. Nec metum tamen vel ignaviam hujus rei causam fuisse confici potest ex DIONE CASSIO, apud quem laudatur tanquam „*δραστήριος ἀνὴρ,* „*καὶ ἰσχὺν μεγάλην καὶ πρόθυμον εἶχεν.*" Quum autem brevi post GALBA, NERONE mortuo, imperator esset factus, legiones Germanicae infestae ei erant et propter caedem FONTEII CAPITONIS et quod nullum a novo imperatore donarium accepissent (2), quodque VERGINIUS RUFUS abesset. Legimus enim apud TACITUM *Hist.*

(1) Vid. DIO CASSIUS Libr. LXIII, pag. 725 E et TACITUS *Hist.* Libr. I. cap. VIII.

(2) Vid. DIO CASSIUS Libr. LXIV, pag. 729 E et TACITUS *Hist. Libr.* I, cap. VII.

Libr. I, cap. VIII: „Dux deerat, abducto VERGINIO per „simulationem amicitiae; quem non remitti atque etiam „reum esse tanquam suum crimen accipiebant;" infamaverat enim eum legatus FABIUS VALENS. In ejus locum igitur milites VITELLIUM ducem sibi elegerunt, eumque imperatorem salutarunt; qui quum deinde cum OTHONE de principatu contenderet, ab hoc consulem esse destinatum VERGINIUM legimus apud TACITUM *Hist. Libr.* I, cap. LXXVII: „ut aliquod exercitui Germanico de„lenimentum." Huic igitur imperatori adfuit in bello contra Vitellianos; sed quum OTHO post pugnam Bedriacensem voluntaria morte de vita decedendum statuisset, milites VERGINII domum obsidentes minitati sunt, fortasse quod auctorem eum putarent funesti OTHONIS consilii. At is strepitu audito propere intervenit, tumultum sedavit nec diu post manum sibi intulit. Sepulto OTHONE milites iterum VERGINIO persuadere conati sunt, ut imperium susciperet, qui tamen, ut narrat TACITUS *Hist. Libr.* II, cap. LI: „per aversam „domus partem furtim digressus irrumpentes frustratus „est." Mox tamen cum VITELLIO in gratiam rediisse videtur, certe apud eum coenasse narrat TACITUS *Hist. Libr.* II, cap. LXVIII, quo die imminens sibi periculum vix effugit. Rixa enim exorta inter legionarium quendam et militem e Gallis auxiliaribus, magnus commotus est tumultus, in quo VERGINII servus, qui forte militibus obvius erat, insimulatus est consilii VITELLIUM occidendi, qua accusatione audita, exercitus VERGINII mortem ab imperatore exposcebat; quem tamen tumultum sedavit VITELLIUS et ipsum VERGINIUM, dubitans quamvis de ejus innocentia, incolumem a se dimisit neque passus est ei vim inferri a militibus, quo-

rum dux olim fuisset. Infenso enim in eum animo fuisse milites ob bis spretum imperium ex iis apparet, quae addit TACITUS: „Nec quemquam saepius quam „VERGINIUM omnis seditio infestavit. Manebat admi-„ratio viri et fama; sed oderant ut fastiditi."

Post illa civilia bella nulla apud historicos mentio fit VERGINII, sed permulta de eo legimus in *Epistolis* PLINII, cujus tutor VERGINIUS fuit, quique eum valde dilexit et admiratus est. Inprimis Libr. II, ep. I multa memoratu dignissima de VERGINIO memoriae prodidit. Ei autem res publicas semper cordi fuisse jam inde apparet, quod legimus eum tertio consulatu perfunctum esse, „ut summum fastigium privati hominis impleret, „cum principis noluisset." Tutelam vero PLINII ita gessit, ut in omnibus rebus gravioribus ei adesset ejusque commoda juvaret, quod in epistola laudata ab illo his verbis memoratur: „Sic candidatum me suffragio „ornavit, sic ad omnes honores meos ex secessibus accu-„currit, cum jam pridem ejusmodi officiis renuntiasset, „sic illo die, quo sacerdotes solent nominare quos dig-„nissimos sacerdotio judicant, me semper nominabat. „Quin etiam in hac novissima valitudine veritus ne „forte inter quinqueviros crearetur, qui minuendis publi-„cis sumptibus judicio senatus constituebantur, cum illi „tot amici senes consularesque superessent, me hujus „aetatis per quem excusaretur elegit, his quidem verbis, „*etiam si filium haberem, tibi mandarem*". Ubi autem in secessu vixerit VERGINIUS, idem nos docet Libr. VI, ep. X, § 1 his verbis: „Cum venissem in socrus meae „villam Alsiensem, quae aliquando RUFI VERGINI fuit, „ipse mihi locus optimi illius et maximi viri deside-„rium non sine dolore renovavit. Hunc enim colere

„secessum atque etiam senectutis suae nidulum vocare „consueverat." Ibi igitur „in altissima tranquillitate, „pari veneratione" vixit usque ad annum tertium et octogesimum, donec funesto casu mortem obiit. Quum enim in ipso consulatu, TRAJANO imperante (1), principi gratias esset acturus, gravi libro manibus elapso, ipse cecidit coxamque fregit. Nec subito tamen mortuum esse apparet ex his PLINII verbis ex epistola I, Libr. II: „Usus est firma valetudine, nisi quod sole„bant ei manus tremere, citra dolorem tamen. Aditus „tantum mortis durior longiorque, sed hic ipse lauda„bilis." Cruris autem fracturam imperitia chirurgi letalem esse redditam, in eadem illa epistola legimus. Magnificos autem VERGINII exsequias fuisse narrat, cujus omnes mortem lugerent. Quantopere vero etiam vivus laudibus efferretur, his verbis docemur: „Legit scripta „de se carmina, legit historias et posteritati suae inter„fuit." PLINIUS quoque, qui magnum ex ejus morte dolorem ceperat, eum laudat in illa epistola eloquentissimis verbis simulque amicissimis; legimus enim § 7: „Et „ille quidem plenus annis abiit, plenus honoribus, illis „etiam quos recusavit: nobis tamen quaerendus ac deside„randus est ut exemplar aevi prioris, mihi vero praecipue, „qui illum non solum publice quantum admirabar tan„tum diligebam cet." et § 11: „Vivit enim vivetque sem„per atque etiam latius in memoria hominum et sermone „versabitur, postquam ab oculis recessit." Ipse autem VERGINIUS epitaphium illud tumulo suo inscribi jusserat:

---

(1) Hoc conficitur e PLINII *Epist.* Libr. II, ep. I, § 3: »Caesares »quibus suspectus atque etiam invisus virtutibus fuerat evasit, reliquit »incolumem optimum atque amicissimum, tanquam ad hunc ipsum hono»rem publici funeris reservatus."

Hic situs est Rufus, pulso qui Vindice quondam imperium adseruit non sibi, sed patriae.

Ingratos vero heredes monumentum illud imperfectum reliquisse memorat PLINIUS Libr. VI, ep. X, atque ita queritur: „Subit indignatio cum miseratione, post „decimum mortis annum reliquias neglectumque cine„rem sine titulo, sine nomine jacere, cujus memoria „orbem terrarum gloria pervagetur." Quum autem RUSO quidam, PLINII amicus, epitaphium illud VERGINII tanquam arrogans reprehendisset laudassetque FRONTINUM, quod omnino monumentum sibi fieri vetuisset, PLINIUS carissimi sui tutoris defensionem suscepit epistola, quae est Libr. IX ep. XIX. Dicit autem se et FRONTINUM et VERGINIUM dilexisse, hunc vero magnopere admiratum esse, ita addens: „ut non putarem „satis unquam posse laudari cujus nunc mihi subeunda „defensio est." Deinde tradit VERGINIUM maxima in dicendo verecundia fuisse nec saepius de suis ipsum rebus loqui solere; nam semel tantum CLUVIO historico dicenti: „scis, VERGINI, quae historiae fides debeatur: „proinde si quid in historiis meis legis aliter ac velis, „rogo ignoscas," tale responsum eum reddentem se audivisse: „tune ignoras, CLUVI, ideo me fecisse quod feci, „ut esset liberum vobis scribere quae libuisset?"

Talem igitur virum, qualem VERGINIUM fuisse cognovimus, ab omnibus aequalibus ob res gestas et integritatem laudatum, a suis autem ob vitam privatum et morum facilitatem amatum, JUVENALIS culpare vix potuit; nec fecit quidem, nam obiter tantum, ut vidimus, VERGINII nomen memoratur.

His de belli ducibus peractis, quorum plerique viri fuerunt optime de civitate meriti, quique a JUVENALE non tam culpantur, quam memorantur, jam transeamus ad viros primarios, quorum in Satiris magna copia traditur.

---

§ 3 DE SENATORIBUS CETERISQUE VIRIS PRIMARIIS.

Satis multa in Satiris offendimus nomina virorum, qui claris originibus , senatoria dignitate, imperatorum favore inter principes civitatis viros sunt recensendi, quorum tamen alii a poëta levius reprehenduntur, alii acerbius perstringuntur, nonnulli etiam ob malos mores et turpissima vitia maximo contemtu vituperantur. In horum autem numero partim videmus, qui ab historicis quoque atro carbone notati, ab omnibus omnium aetatum hominibus merito contemnebantur; partim, qui ut ignavi et viles principum adulatores vel etiam delatores apud historicos nonnullis quidem locis memorantur, nec ceteroquin tamen satis noti sunt : non paucos denique, quorum nomina nusquam alibi leguntur, sed ficta esse videntur a poëta, ita quidem, opinor, ut semper fere alludat ad viros, qui suo tempore aut paulo ante vixerint, quorumque facta, culpatu digna, suppresso nomine notet. Nec facile tamen est indagare qui singulis locis fictis illis nominibus indicentur; et nunc

quidem de iis tantum agere mihi visum est, quorum vera nomina in Satiris leguntur. De his igitur, quantum fieri potest, temporis, quo vixerint, ratione habita, videamus, atque ab iis quidem ordiamur qui fuerunt Tiberio imperante. Ex his autem primo loco mentio facienda est de Aelio Sejano, qui sub Tiberio magna auctoritate usus, vel potius abusus est. De hujus igitur morte agens Sat. X, vs. 56—113, maxima elegantia poëta depingit pericula, quibus obnoxius sit is, qui a saevo tyranno ad magnos extollitur honores, et quanta sit levitas multitudinis, quae, donec principum favore tales viri utuntur, eos adulatur, quum vero principibus invisi esse coeperint, maximo eos persequitur odio, quod deinde Sejani exemplo probare studet. Levitatem istam multitudinis his verbis reprehendit vs. 72 sqq.:

> . . . . . sed quid
> turba Remi? sequitur fortunam, ut semper, et odit
> damnatos. Idem populus, si Nortia Tusco
> favisset, si oppressa foret secura senectus
> principis, hac ipsa Sejanum diceret hora
> Augustum.

Tum Sejani quoque imprudentiam, qua perniciem sibi ipse contraxerit, ita culpat vs. 103 sqq.:

> Ergo quid optandum foret, ignorasse fateris
> Sejanum; nam qui nimios optabat honores
> et nimias poscebat opes, numerosa parabat
> excelsae turris tabulata, unde altior esset
> casus et impulsae praeceps immane ruinae.

Jam de hoc Sejano saepe mentionem factam invenimus apud Tacitum, Dionem Cassium, Suetonium,

alios, quorum testimoniis de genere ejus moribusque exponamus, quaeque res gestae viri ac fata fuerint (1).

Natus igitur Vulsiniis, in urbe Etruriae (2), patre SEJO STRABONE, equite Romano, jam ab adolescentia malis fuit moribns, quippe qui esset, teste DIONE CASSIO, *παιδικὰ Μάρκου Γαβίου Ἀπικίου*, quod idem tradit TACITUS addens: „et prima juventa C. CAESAREM divi „AUGUSTI nepotem sectatus." Idem scriptor h.l. SEJANI mores tali modo depingit: „Corpus illi laborum tole„rans, animus audax; sui obtegens, in alios criminator: „juxta adulatio et superbia: palam compositus pudor, „intus summa apiscendi libido ejusque causa modo lar„gitio et luxus, saepius industria ac vigilantia, haud „minus noxiae, quotiens parando regno fingantur." Nimio autem honoris studio adductus TIBERII imperatoris favore usus est ad maximam auctoritatem sibi acquirendam, qua de re legimus apud TACITUM l. l. „mox „TIBERIUM variis artibus devinxit adeo, ut obscurum „adversum alios, sibi uni incautum intectumque efficeret, „non tam sollertia, (quippe iisdem artibus victus est) „quam Deum ira in rem Romanam, cujus pari exitio „viguit ceciditque." Initio tamen, donec DRUSUS, TIBERII filius, vixit, quem timebat, imperatorem non incitavit ad saevitiam, cujus rei causam affert TACITUS *Annal.* Libr. IV, cap. VII: „quia incipiente adhuc po-

---

(1) Vid. DIO CASSIUS Libr. LVII, pag. 616 B. et TACITUS *Annal.* Libr. IV, cap. I.

(2) Hanc ob rem a JUVENALE Sat. X vs. 74 *Tuscus* vocatur. De ejus genere vid. inprimis VELLEJUS PATERCULUS Libr. II, cap. CXXVII: »..... »SEJANUM AELIUM, principe equestris ordinis patre natum, materno vero »genere clarissimos veteresque et insignes honoribus complexum familias, »habentem consulares fratres, consobrinos, avunculum, ipsum vero cet."

„tentia bonis consiliis notescere volebat." Postea vero, quum ejus auctoritas crevisset, ne inimici apud imperatorem se criminarentur, huic persuasit, ut procul ab urbe vitam degeret. Adulantibus semper senatoribus ceterisque nobilibus, SEJANI arrogantia magis magisque aucta est, donec postremo Caesari invisus esse coepit et, conjuratione ejus in TIBERII vitam patefacta, ad mortem ductus est, gaudentibus fere omnibus, qui prius metu magnopere eum adulati erant. De hac SEJANI arrogantia atque superbia agit JUVENALIS vs. 103 sqq. jam supra laudatis, tum etiam vs. 90 sqq.

Visne salutari sicut Sejanus, habere
tantundem, atque illi summas donare curules,
illum exercitibus praeponere, tutor haberi
principis angusta Caprearum in rupe sedentis
cum grege Chaldaeo?

Jam patri, quem sub AUGUSTO praefectum praetorii fuisse legimus, collega additus fuisse videtur (1). TIBERIUS autem, qui ei favebat, primo imperii anno una cum filio suo DRUSO in Pannoniam eum misit ad militum seditionem sedandam. Quum autem A. U. 768 (p. Chr. 15) seditio in Germania ab AGRIPPINA, GERMANICI uxore, compressa esset, aegre ferens feminam tantopere apud milites valere, TIBERIUM in eam accendit; scribit enim TACITUS *Annal.* Libr. I, cap. LXIX: „Accendebat haec onerabatque SEJANUS, peri„tia morum TIBERI odia in longum jaciens, quae „reconderet auctaque promeret." Quod tamen difficile ei non fuit propter suspiciones quae in Principis animo

(1) Vid. TACITUS *Annal.* Libr. I, cap. XXIV; Libr. VI, cap. VIII et DIO CASSIUS Libr. LVII, pag. 616 B.

jam sponte surrexerant, quas TACITUS l. l. his verbis indicat: „Nihil relictum imperatoribus, ubi femina „manipulos intervisat, signa adeat, largitionem tentet, „tanquam parum ambitiose filium ducis gregali habitu „circumferat *Caesaremque Caligulam* appellari velit. „Potiorem jam apud exercitus AGRIPPINAM quam le„gatos, quam duces: compressam a muliere seditio„nem, cui nomen Principis obsistere non quiverit." SEJANUS autem etsi jam tum multis invisus erat, florebat favore principis et nonnullorum ex ejus propinquis, quin etiam A. U. 773 (p. Chr. 20) CLAUDIUS filio suo DRUSO SEJANI filiam despondit (1), quod multis displicuisse legimus apud TACITUM, qui causam his verbis addit: „Polluisse nobilitatem familiae videba„tur suspectumque jam nimiae spei SEJANUM ultra „extulisse." Ab imperatore tamen semper eum honoratum laudatumque fuisse, in aliis apparet ex iis, quae legimus apud TACITUM *Annal.* Libr. III, cap. LXXII. Quum enim TIBERIUS A. U. 775 (p. Chr. 22) theatrum POMPEJI reficiendum curaret: „simul laudibus SEJANUM „extulit, tanquam labore vigilantiaque ejus tanta vis „unum intra damnum stetisset." Quo tempore etiam senatores aeneam ejus statuam juxta renovatum POMPEJI theatrum ponendam decreverunt (2). Unum tamen e senatoribus, CORDUM, libere dixisse sententiam suam legimus apud SENECAM *in consolatione ad Marciam* pag. 115 sq. ejusmodi: „Tunc vere theatrum perire." Ipse quoque SENECA, hac re indignatus, addit: „Quis ergo „non rumperetur, supra cineres CN. POMPEJI constitui „SEJANUM, et in monumentis maximi imperatoris con-

(1) Vid. SUETONIUS *in vita Claudii* cap. XXVII.
(2) Vid. DIO CASSIUS Libr. LVII, pag. 617 B.

„secrari pessimum militem?" CORDUS tamen imminentem sibi a SEJANO ultionem non nisi morte voluntaria effugit. Neque ita multo post, quum TIBERIUS JUNIUM BLAESUM, SEJANI propinquum, qui in Africa feliciter bellum gesserat, triumphalibus insignibus ornasset, „dare id", ut tradit TACITUS l. l. „se dixit honori SEJANI, cujus „ille avunculus erat."

Fretus igitur imperatoris gratia et satis aucta sua potentia, jam coepit imperatorem ad saevitiam incitare, teste TACITO *Annal.* Libr. IV, cap. I, a quo nonnihil differt SUETONIUS *in vita Tiberii* cap. LXI sic judicans: „Post cujus interitum vel saevissimus exstitit: „quo maxime apparuit, non tam ipsum a SEJANO con„citari solitum, quam SEJANUM quaerenti occasiones „subministrasse." Cui tamen sententiae non prorsus assentior. Nam etsi facile credo TIBERIUM postquam SEJANUM, quem firmum semper sibi amicum putasset, nimia ambitione jam suspectum redditum, delata conjuratione infidum cognovisset et supplicio affecisset, nulli in posterum fidem habuisse et magis magisque in omnes saeviisse: inde tamen confici non mihi videtur, eundem non ante etiam imperatorem incitasse, quod expressis verbis docet TACITUS, cui ut fidem denegem SUETONIUS loco laudato mihi non persuasit.

Sed potentiam suam maxime auxit SEJANUS A. U. 776 (p. Chr. 23) cohortes praetorianorum in una castra conducendo, quibus jam solus praeerat, ut narrat DIO CASSIUS Libr. LVII, pag. 616 B, patre in Aegyptum misso. Quod quo consilio fecerit, docet TACITUS *Annal.* Libr. IV, cap. II his verbis: „ut simul imperia acciperent nu„meroque et robore et visu inter se fiducia ipsis, in „ceteros metus crederetur." Simulavit tamen se hoc

fecisse ne dispersi lascivirent urbis illecebris; extra urbem enim castra posuit. Addidit etiam fore ut majori sic auxilio essent et fortius sese gererent, si eorum opera indigeret respublica. Ab hoc inde tempore praetorianos quam maxime sibi devinxit, quorum fide fretus magis magisque superbire coepit. Legimus enim apud TACITUM *Annal.* Libr. IV, cap. II: „Neque „senatorio ambitu abstinebat clientes suos honoribus „aut provinciis ornando, facili TIBERIO atque prono, „ut *socium laborum* non modo in sermonibus, sed apud „Patres et populum celebraret colique per theatra et „fora effigies ejus interque principia legionum sineret." Huic SEJANI potestati alludit JUVENALIS Sat. X, vs. 90 sqq.:

> Visne salutari sicut Sejanus, habere
> tantundem, atque illi summas donare curules,
> illum exercitibus praeponere cet.

Ad quantum autem honoris culmen pervenisset docet DIO CASSIUS Libr. LVII, pag. 617 C, narrans eum saepius a senatu ac populo solitum esse laudari, ad ejus domum mane nobilissimos viros ventitasse, qui de rebus cum privatis tum publicis eum consulerent; additque „καὶ συνελόντι εἰπεῖν, οὐδὲν ἔτι χωρὶς αὐτοῦ τῶν „τοιούτων ἐπράττετο."

Jam vero consilium inire coepit imperatoris propinquos, quos sibi infestos ac periculosos cognoverat, inprimis autem DRUSUM, TIBERII filium, e medio tollendi. Quod quum vi perficere non auderet, dolo conatus est. Cur autem DRUSO maxime iratus esset, TACITUS docet *Annal.* Libr. IV, cap. III hoc modo: „Nam DRUSUS „impatiens aemuli et animo commotior, orto forte jur-

„gio, intenderat SEJANO manus et contra tendentis os „verberaverat." Idem fere narrat DIO CASSIUS Libr. LVII, pag. 618 A, cujus verba πὺξ αὐτῷ ἐνέτεινε non vertenda esse videntur *colaphum ei inflixit*, quippe quod nimis audacter ab eo factum foret, sed idem valere quod TACITI verba *et contra tendentis*. Hunc igitur DRUSUM e medio tollere studens uxorem ejus LIVIAM s. LIVILLAM, GERMANICI sororem, ad adulterium pellexit, et promisso matrimonio, eam permovit ut in occidendo marito se adjuvaret, socio assumto EUDEMO, qui LIVIAE amicus et medicus erat. Quin etiam, ut omnes hujus facinoris arbitros amoveret, uxorem suam APICATAM, ex qua tres liberos susceperat, domo sua pepulisse fertur a TACITO *Annal.* Libr. IV, cap. III. Quibus omnibus paratis A. U. 776 (p. Chr. 23) statuit DRUSUM veneno interficere, cujus rei causam affert TACITUS *Annal.* Libr. IV, cap. VIII: „quo paulatim irrepente morbus „assimularetur," qui deinde etiam addit per quem ei venenum dandum curaverit: „Id DRUSO datum per „LYGDUM spadonem, ut octo post annos cognitum est." Historici autem tradunt fuisse qui ex rumoribus evulgatis opinarentur TIBERIUM hujus caedis conscium fuisse (1). Quidquid est maxima certe eum animi tranquillitate mortem filii tulisse, moerentes ac lugentes senatores nobilesque orationibus consolatum esse narrat TACITUS *Annal.* Libr. IV, cap. VIII et legimus apud SENECAM *in consolatione ad Marciam* pag. 116 sq.: „ipse tamen „pro rostris laudavit filium, stetitque in conspectu posito „corpore, interjecto tantummodo velamento, quod pon„tificis oculos a funere arceret et flente populo Romano

(1) Vid. DIO CASSIUS Libr. LVII, pag. 618, TACITUS *Annal.* Libr. IV cap. X.

„non flexit vultum; experiendum se dedit SEJANO ad la-
„tus stanti, quam patienter posset suos perdere." TA-
CITUS tamen tradit cap. X fuisse qui dicerent SEJANUM
TIBERIO persuasisse DRUSO in animo esse, ut patrem
veneno necaret; quam ob rem consilium ei dederit, ut
ipse in convivio poculum veneni filio bibendum trade-
ret; quos tamen rumores deinde refutat. DIO CASSIUS
l. l. eandem rem narrans dicit „*αἰτίαν μὲν γὰρ ὁ Τιβέριος*
„*ἔλαβεν*," neque etiam SUETONIUS his rumoribus fidem
habuisse conficio ex iis, quae legimus *in vita Tiberii*
cap LXII: „Auxit intenditque saevitiam, exacerbatus
„indicio de morte filii sui DRUSI: quem quum morbo
„et intemperantia perisse existimaret, ut tandem veneno
„interemtum fraude LIVILLAE uxoris atque SEJANI
„cognovit, neque tormentis, neque supplicio cujusquam
„pepercit cet." TIBERIUM igitur omnes facinoris ab-
solvunt, SEJANI vero culpam affirmant.

Nec vero DRUSI caede contentus fuisse videtur, sed
deinde GERMANICI uxorem AGRIPPINAM ejusque liberos
perdere conatus est, quibus cur insidias struxerit doce-
mur a TACITO *Annal.* Libr. IV, cap. XII his verbis:
„quorum non dubia successio." Criminationes autem
atque insidias SEJANI in familiam GERMANICI TIBERIO
non ingratas fuisse conficias e verbis SUETONII *in vita*
Tiberii cap. LV: „Inter quos cum plurimorum clade
„AELIUM SEJANUM, quem ad summam potentiam non
„tam benevolentia provexerat, quam ut esset, cujus
„ministerio ac fraudibus liberos GERMANICI circum-
„veniret: nepotemque suum ex DRUSO filio naturalem
„ad successionem imperii confirmaret," Eundem tamen
postea SEJANI caedem hoc argumento defendere ausum
esse legimus apud SUETONIUM l. l. cap. LXI: „SEJANUM

„se punisse, quod comperisset, furere adversus liberos „GERMANICI, filii sui."

SEJANUS igitur A. U. 777 (p. Chr. 24) TIBERIO metum injecit ne AGRIPPINA, quae favore populi uteretur, sibi liberisque suis dominationem parare conaretur, bello civili commoto; multosque praeterea e veteribus GERMANICI amicis accusandos atque capitis damnandos curavit. Quibus criminationibus quum TIBERIUM ab AGRIPPINA abalienare quam maxime studeret, idem anno insequenti LIVIAM in matrimonium petere ausus est, quod tamen imperator ei denegavit. Metuens deinde ne imperatoris favor sibi detraheretur rumoribus et criminationibus inimicorum, quos non paucos habuit, huic persuasit ut procul Roma vitam degeret (1). Cui consilio obsecutus quum imperator in itinere esset, accidit aliquid, quo magis etiam imperatoris erga eum aucta sit gratia ac benevolentia. Legimus enim apud TACITUM *Annal.* Libr. IV, cap. LIX: „Vescebantur in „villa, cui vocabulum Speluncae, mare Amuclanum inter „Fundanosque montes nativo in specu. Ejus os lapsis „repente saxis obruit quosdam ministros. Hinc metus „in omnes et fuga eorum, qui convivium celebrabant. „SEJANUS genu vultuque et manibus super Caesarem „suspensus opposuit sese incidentibus, atque habitu „tali repertus est a militibus, qui subsidio venerant." Inde novam ille occasionem nactus est, ut AGRIPPINAM ejusque liberos, inprimis NERONEM, calumniaret accusaretque, quasi imperatori insidias struerent; nec tamen efficere potuit ut TIBERIUS eos morte multaret. Hic

(1) Vid. TACITUS *Annal.* Libr. IV cap. XLI et LVII, ubi legimus: »Inter quae diu meditato prolatoque saepius consilio, tandem Caesar in »Campaniam specie dedicandi templa.... sed certus procul urbe degere."

autem Romam non rediit sed, itinere per Campaniam peracto, in insulam Capreas se contulit, rerum in Urbe administrationem SEJANO permittens, cujus arrogantia hinc in dies aucta est. De quo legimus apud JUVENALEM Sat. X, vs. 92 sq.

. . . . . tutor haberi
principis angusta Caprearum in rupe sedentis
cum grege Chaldaeo cet.

Mortua autem A. U. 782 (p. Chr. 29) TIBERII matre AUGUSTA, ipsius et SEJANI saevitia jam nulla re coërcebatur; legimus enim apud TACITUM *Annal.* Libr. V, cap. III: „Nam incolumi Augusta erat adhuc per„fugium, quia TIBERIO inveteratum erga matrem ob„sequium, neque SEJANUS audebat auctoritati parentis „anteire.'' Magnum hinc periculum imminebat AGRIPPINAE, quod tamen favore populi et constantia cujusdam senatoris effugit (1).

Quae fuerint ab hoc inde tempore SEJANI fata non docet TACITUS, in cujus *Annal.* Libr. V magna est lacuna, quique cap. VI sqq. pergit de rebus post SEJANI supplicium gestis. At multa memoratu digna de ea re legimus in DIONIS CASSII Libr. LVIII, qui etsi minus accuratus auctor est, nec tanta fide, quanta TACITUS, tamen, hoc deficiente, illius testimoniis utendum. Narrat igitur quum omnes eum adularentur, statuas innumeras ei esse erectas, additque: „ἐψηφίσθη ὅπως „τὰ γενέθλια αὐτοῦ δημοσίᾳ ἑορτάζηται.'' Jam prius triumphalia a TIBERIO ei esse tributa memorat TACITUS *Annal.* Libr. IV, cap. XXVI. Nec minus qui-

(1) Vid. TACITUS *Annal.* Libr. V, cap. IV.

dem eum quam ipsum TIBERIUM verebantur, et affirmat DIO CASSIUS l. l.: „καὶ ηὔχοντο ὑπὲρ ἀμφοῖν ὁμοίως, „καὶ ἔθυον, καὶ τὴν τυχὴν αὐτῶν ὤμνυσαν, et pag. 123 A „dicit: ὥστε καὶ τοὺς βουλεύτας καὶ τοὺς ἄλλους ἐκείνῳ „μὲν ὡς καὶ αὐτοκράτορι προσέχειν, τὸν δὲ Τιβέριον ἐν ὀ„λιγωρίᾳ ποιεῖσθαι." Quod quum TIBERIUS animadvertisset, veritus ne ad SEJANUM imperium deferrent, rem non parvi faciendam esse intellexit. Quum vero is praetorianos sibi devinxisset et fere omnium favore uteretur, non ausus est vi eum aggredi; sed contra tantis honoribus eum affecit, ut magis magisque se extolleret, tandemque eo impudentiae progressus sit, ut se ipse imperatorem, TIBERIUM vero Caprearum tantum rectorem haberet, quae tamen nimia arrogantia imminentis ruinae principium fuit.

Mala autem omina, quae saepius acciderunt (1), a SEJANO atque ab amicis et adulatoribus initio certe neglecta sunt. TIBERIUS interea modo Capreis epistolas mittebat Romam, quibus se aegrotare scribebat, modo bona se uti valetudine et mox Romam se esse venturum; modo SEJANUM laudabat, modo reprehendebat ejusque amicos modo honoribus, ignominia modo afficiebat, ita ut nescirent sperandumne an metuendum iis esset, donec tandem dirissimis ominibus ipse SEJANUS perterritus est (2). Multi etiam, quum suspicari coepissent perniciem illi imminere, palam quidem eodem in eum animo esse simulabant, sed, ut dicit DIO CASSIUS: „ἰδίᾳ μὲν τὰς ἑαυτοῦ ἀσφαλείας διεσκόπουν." Paulatim tamen TIBERIUS apertius ostendere coepit, quo in eum animo esset. Narrat enim DIO CASSIUS impe-

(1) Vid. DIO CASSIUS Libr. LVIII, pag. 624.
(2) Vid. DIO CASSIUS Libr. LVIII, pag. 625.

ratorem SEJANI inimicum in jus vocatum absolvisse, in epistola ad senatum SEJANUM nominasse nullis additis, ut solebat, titulis, vetuisse denique ne cui homini sacrificaretur, quum optime sciret SEJANO sacra fieri solere; quibus rebus effectum est, ut populus SEJANUM jam contemnere ac deserere inciperet, quemadmodum JUVENALIS scribit Sat. X, vs. 72 sqq.:

> . . . . . sed quid
> turba Remi? sequitur fortunam, ut semper, et odit
> damnatos.

TIBERIUS igitur jam tempus esse ratus SEJANI exitium properandi, sparso rumore se ei tribuniciam potestatem esse daturum, clam SERTORIUM MACRONEM praetorianis praefecit, eique literas ad senatum perferendas tradidit, quibus SEJANUS accusaretur. Qui postquam Romam pervenit, postero die SEJANUM, ad senatum se conferentem, allocutus, ei nuntiavit tribuniciam se ad eum deferre potestatem, cui nuntio fidem habens ille curiam ingressus est. MACRO interea praetorianos in castra coëgit iisque nuntiavit quid sibi a TIBERIO esset mandatum. Templum deinde, ubi senatus habebatur, custodibus nocturnis quum cinxisset, quibus praeerat GRACINUS LACO, ipse ad praetorianorum castra rediit cauturus ne tumultuarentur. In senatu interea literae imperatoris lectae sunt, quibus primo leviter SEJANUM reprehendit, deinde vehementissime accusavit jussitque in custodia eum esse habendum. Cognitis imperatoris mandatis, omnes fere senatores, qui modo de oblato, ut putabant, tribuniciae potestatis honorè ei congratulati fuerant, clamore et maledictis eum increpuerunt. Postremo autem consul MEMMIUS RE-

GULUS in carcerem eum trahendum curavit, quo quum duceretur a populo contumelia affectus est, qui summo cum furore statuas ejus fregit, quod a JUVENALE hoc modo describitur vs. 58 sqq.

> . . . . descendunt statuae restemque sequuntur,
> ipsas deinde rotas bigarum inpacta securis
> caedit, et inmeritis franguntur crura caballis.
> Jam strident ignes, jam follibus atque caminis
> ardet adoratum populo caput, et crepat ingens
> Sejanus, deinde ex facie toto orbe secunda
> fiunt urceoli pelves sartago matellae.

Senatus autem eodem die in aedem Concordiae convenit et SEJANUM capitis damnavit; ad mortem igitur ductus in scalas Gemonias projectus est ejusque corpus a populo omni contumelia affectum, donec triduo post in Tiberim abjectum est (1). De hujus autem supplicio legimus apud JUVENALEM Sat. X vs. 65 sqq.

> Pone domi laurus, duc in Capitolia magnum
> cretatumque bovem, Sejanus ducitur unco
> spectandus. Gaudent omnes. „Quae labra, quis illi
> vultus erat! nunquam, si quid mihi credis, amavi
> hunc hominem."

et vs. 84 sqq.

> „Quam timeo, victus ne poenas exigat Ajax
> ut male defensus! curramus praecipites et,
> dum jacet in ripa, calcemus Caesaris hostem.
> Sed videant servi, ne quis neget et pavidum in jus
> cervice obstricta dominum trahat." Hi sermones
> tunc de Sejano; secreta haec murmura vulgi.

(1) De SEJANI accusatione et morte cf. SUETONIUS *in vita Tiberii* cap. LXV.

Quae autem expurgandi causa TIBERIUM dixisse tradit SUETONIUS l. l. cap. LXI, ut supra vidimus, *se eum punisse quod comperisset* cet.; quam futilis haec atque inanis defensio esset, ipse ostendit, quum mox addat: „quorum ipse alterum, suspecto jam, alterum oppresso „demum SEJANO interemit."

Conjurationem in TIBERIUM fecisse SEJANUM scribit FLAVIUS JOSEPHUS *Antiq. Jud.* Libr. XVIII, cap. VI, § 6, quam epistolis TIBERIO nuntiatam esse dicit ab ANTONIA, uxore DRUSI, TIBERII fratris, quibus perlectis imperatorem SEJANUM interficiendum curasse narrat. Verba autem JOSEPHI „*ἐπιβουλῆς γὰρ μεγάλης συ-*„*στάσης ἐπ' αὐτὸν ὑπὸ Σηιανοῦ*" idem indicare mihi videntur quod a DIONE narratum esse vidimus, metuisse TIBERIUM ne ad SEJANUM imperium deferrent. Idem fere legimus in Scholiis veteribus ad JUVENALIS Sat. X, vs. 63 his verbis: „SEJANUS fuit TIBERIO usque „adeo carus amicus, ut nihil esset, quod ei a TIBERIO „petenti negaretur; usque adeo ut jam de ejus cogita-„verit nece, dispositis conjurationis sociis, ut occiso „TIBERIO ipse regnaret. Cum hoc cognovisset TIBERIUS, „super ejus nomine epistolam ad senatum misit „cet."

Jam post caedem SEJANI in ejus familiam quoque saevitum est; filios ad mortem esse ductos legimus apud DIONEM l. l. et apud TACITUM *Annal.* Libr. V, cap. IX, filiamque ejus in carcere a carnifice prius construpratam, deinde interfectam esse, et eorum corpora in scalas Gemonias esse projecta. Scholiasta l. l, dicit: et „sic per consules damnatus est cum omni progenie sua, usque adeo, ut filiam ejus virginem juberet senatus a car-„nifice stuprari et sic occidi, ut jure videretur fuisse „occisa." Uxor vero SEJANI, APICATA, damnata qui-

dem non est, sed ipsa mortem sibi conscivit, postquam prius LIVILLAM ceterosque DRUSI caedis conscios libello composito accusavit, qui deinde ab imperatore interfecti sunt. Bona autem SEJANI publicata sunt, quae A. U. 785 (p. Chr. 32), ut narrat TACITUS *Annal.* Libr. VI, cap. II, ablata sunt aerario, ut in fiscum cogerentur. Multos quoque SEJANI amicos postea damnatos esse plures testantur; (1) nec paucos quidem statim post ejus mortem contumelia eum affecisse legimus, ne in amicorum numero fuisse viderentur, qua de re JUVENALEM Sat. X, vs. 84 sqq. agere jam supra vidimus, qui causam SEJANI calamitatis tali modo describit vs. 108 sqq.

Quid Crassos, quid Pompejos evertit, et illum,
ad sua qui domitos deduxit flagra Quirites?
Summus nempe locus nulla non arte petitus
magnaque numinibus vota exaudita malignis.
Ad generum Cereris sine caede ac vulnere pauci
descendunt reges et sicca morte tyranni.

Quum autem omnes, ut vidimus, scriptores SEJANUM culpant nimiaeque ambitionis accusant, ab uno VELLEJO PATERCULO laudatur et defenditur, cujus tamen testimoniis non nimia fides habenda est, quippe qui sub TIBERIO senator et amicus SEJANI fuerit et scripserit historias suas, quo tempore illius auctoritas et potentia adhuc florebant. Legimus autem apud eum Libr. II, cap. CXXVII: „Sub his exemplis TIBERIUS CAESAR „SEJANUM AELIUM, principe equestris ordinis patre

(1) Vid. TACITUS *Annal.* Libr. V, cap. VI sqq.; Libr. VI, cap. III. sq. et cap. XIX; Libr. XIII, cap. XLV. DIO CASSIUS, Libr. LVIII, pag. 630 A. SUETONIUS *in vita Vitellii*, cap. II. SENECA pag. 105 sq et pag. 475.

„natum ..... ipsum vero laboris ac fidei capacissimum, „sufficiente etiam vigori animi compage corporis, sin„gularem principalium onerum adjutorem in omnia ha„buit atque habet, virum severitatis laetissimae, hilari„tatis priscae actu otiosis simillimum, *nihil sibi vindican„tem, eoque adsequentem omnia, semperque infra alio„rum aestimationes se metientem*, vultu vitaque tran„quillum, animo exsomnem." Ipsum autem VELLEJUM sibi conscium esse non omnes eandem de SEJANO sententiam ferre, conficitur ex iis quae legimus Cap. CXXVIII: „In hujus virtutum aestimatione jam pridem „judicia civitatis cum judiciis principis certant. Neque „novus hic mos senatus populique Romani est, putandi, „quod optimum sit, esse nobilissimum." Quam sententiam postquam exemplis illustravit, sic pergit: „Haec „naturalis exempli imitatio ad experiendum SEJANUM, „Caesarem, ad juvanda vero onera principis, SEJANUM „perpulit; senatumque et populum Romanum eo per„duxit, ut quod usu optimum intelligit, id in tutelam „securitatis suae libenter advocet."

Post SEJANUM videndum est de FABIO PERSICO, qui item sub TIBERIO vixit. Ad hunc enim pertinere videntur quae legimus apud JUVENALEM Sat. VIII, vs. 13 sqq.

> Cur Allobrogicis et magna gaudeat ara
> natus in Herculeo Fabius lare, si cupidus, si
> vanus et Euganea quamtumvis mollior agna.

Hunc igitur FABIUM ab antiqua gente magnopere degenerasse ostendit et majoribus suis valde imparem fuisse. Haec enim gens originem ducere dicebatur ab

Hercule, quod a poëta indicatur verbis *magna ara* et *Herculeo lare*. Cognomen autem *Allobrogicum* additum esse legimus Q. FABIO MAXIMO, qui consul A. U. 632 Allobroges vicit. Verba denique *Euganea agna* alludere videntur ad FABIUM quendam OVICULAM, de quo adnotat CALDERINUS: „Nam FABIUS dictus est „OVICULA ab ove, quia haberet levitatem et gravitatem „ovis, ut scribit PLUTARCHUS." Ex eadem igitur gente fuit FABIUS iste, de quo h. l. a JUVENALE mentio fit, quique sub TIBERIO Romae vixit famosus libidine et vanitate. Cognomen autem *Persicum* a majoribus accepit, ut GRANGAEUS adnotat: „Dictus PERSICUS a rege PERSE, ob me„moriam victoriae ab AEMILIO partae, e qua gente fuit, „adoptione translati majores (?) in FABIAM." (1) De hoc autem FABIO pauca tantum nota sunt; sed legimus apud SENECAM *de Beneficiis* Libr. II, pag. 283 JULIUM GRAECINUM, quum ab amicis ad ludos edendos pecuniam acciperet, FABII PERSICI donum repudiasse, cujus rei causam ille talem addit: „Ego, inquit, „ab eo beneficium accipiam, a quo propinationem accep„turus non sim ?" Idem quum neque a REBILO quodam pecuniam sibi missam accipere vellet, instanti respondisse fertur: „Rogo, inquit, ignoscas: nam et a PER„SICO non accepi.' Quibus exemplis allatis, SENECA exclamat: „Utrum hoc munera accipere est, an sena„tum legere?" quo videtur significare FABIUM PERSICUM fuisse senatorem dignum, qui lectione senatus a censoribus habita moveretur. Eundem ob impudicitiam culpandum fuisse docemur a SENECA *de Beneficiis* Libr. IV, pag. 322: „Quid nuper FABIUM PERSICUM, cujus „osculum etiam impuri vitabant, sacerdotem non in

(1) Vid. VALERIUS MAXIMUS Libr. V, cap. X, § 2.

„uno collegio fecit, nisi VERRUCOSI, et ALLOBROGICI, et „illi trecenti, qui hostium incursioni pro republica unam „domum objecerant?" Ex addito *nuper* cognoscimus quo tempore fere vixerit, aequalem enim fuisse SENECAE. Consulem eundem fuisse tradit auctor vitae AULI PERSII, quae SUETONIO tribuitur, qui dicit poëtam illum natum esse FABIO PERSICO L. VITELLIO Coss. imperante TIBERIO, A. U. 786 (p. Chr. 33), ut adnotat GRANGAEUS, qui dicit, quamquam perverse, ut videtur, ei nomen fuisse PAULUM FABIUM PRISCUM. Idem tamen nomen legitur apud DIONEM CASSIUM Libr. LVIII, pag. 636 C: „*οἱ δ' ὕπατοι Λούκιός τε Οὐϊτέλλιος καὶ „Φάβιος Πρίσκος τὴν δεκετηρίδα ὠνόμαζον, ὡς καὶ τὴν „ἡγεμονίαν αὖθις αὐτῷ καὶ τὸν Αὔγουστον διδόντες. τήν „τε οὖν ἑορτὴν ἅμα ἐποίουν καὶ ἐκολάζοντο.*" Ex postremis hisce verbis confeceris FABIUM capitis esse damnatum.

Jam de RUBELLIO BLANDO (?) legimus Sat. VIII, vs. 39 sqq:

> His ego quem monui? tecum est mihi sermo, Rubelli
> Blande. Tumes alto Drusorum stemmate, tanquam
> feceris ipse aliquid, propter quod nobilis esses,
> ut te conciperet quae sanguine fulget Iuli,
> non quae ventoso conducta sub aggere texit.

Quum ex h. l. apparere videatur sermonem esse de filio JULIAE, assentior HEINRICHIO aliisque, pro BLANDE legentibus PLAUTE. RUBELLIUS enim PLAUTUS natus est RUBELLIO BLANDO et JULIA, DRUSI filia, TIBERII CAESARIS et LIVIAE filii, ut tradit TACITUS *Annal.* Libr. VI, cap. XXVII, qui cap. XLV RU-

BELLIUM BLANDUM TIBERII progenerum vocat, et Libr. XIII, cap. XIX de RUBELLII PLAUTI origine dicit: „per maternam originem pari ac NERO gradu a „divo AUGUSTO cet." (1) Hic igitur TIBERIO imperante natus floruit sub NERONIS imperio, cui quum suspectus esset, interfectus est. Quam suspicionem exortam esse narrat TACITUS *Annal.* Libr. XIV, cap. XXII, quum, A. U. 813 (p. Chr. 60) comete effulgente, inde portenderetur finis imperii NERONIS, quumque rumoribus vulgi RUBELLIUS ille PLAUTUS propter nobilem originem hujus successor designaretur, quem rumorem fulguris interpretatione auctum esse legimus. Ipsum vero RUBELLIUM minime ambitiosum fuisse conficitur ex illis TACITI verbis: „Ipse placita majorum „colebat habitu severo, casta et secreta domo, quanto„que metu occultior, tanto plus famae adeptus." Rumoribus illis permotus NERO literas ad eum misit, quibus consilium ei dedit, ut se conferret in rura sua, quae in Asia habebat; cui consilio obsecutus cum conjuge ANTISTIA, quam *Annal.* Libr. XVI, cap. X POLLUTIAM quoque vocat TACITUS, cumque paucis familiaribus in ASIAM profectus est. At ne sic quidem periculum effugit; A. U. 815 (p. Chr. 62) enim TIGELLINUS, qui illo tempore multum apud NERONEM valebat, imperatori denuo suspectum eum reddidit, quasi fretus exercitu in Oriente res novas moliretur. Quibus autem criminationibus eum accusaverit TIGELLINUS, docemur a TACITO *Annal.* Libr. XIV, cap. LVII: „PLAUTUM „magnis opibus ne fingere quidem cupidinem otii, sed „veterum Romanorum imitamenta praeferre, assumta

(1) NERO quoque per matrem AGRIPPINAM cum AUGUSTI familia conjunctus erat.

„etiam Stoicorum arrogantia sectaque, quae turbidos et „negotiorum appetentes faciat." Nec facile profecto accusator melius argumentum afferre potuerat, ut invisum suspectumque eum redderet NERONI; nihil enim imperatoribus magis erat periculosum, quam si quis veteris reipublicae moribus institutisque imbutus esset, quod nimirum facile quem adduceret ad res novas moliendas odio tyrannorum. Quibus cognitis RUBELLIUS PLAUTUS intellexit mortis periculum sibi imminere, quamquam permulti ei favebant sperabantque fore ut arma in NERONEM susciperet. Quin etiam socer ejus L. ANTISTIUS VETUS nuntium ad eum misit eique persuadere conatus est, ut sexaginta milites, quos NERO in Asiam miserat ad eum interficiendum, propelleret ac deinceps NERONI bellum inferret, quum praesertim copiae in Asia RUBELLIO magis quam NERONI faverent. Cunctando tamen ille tempus perdidit donec a centurione, „per medium," ut dicit TACITUS, „diei nudus „exercitando corpori," repertus est et interfectus. Cujus dubitationis causam affert TACITUS *Annal.* Libr. XIV, cap. LIX: „Sed PLAUTUM ea non movere, sive nul„lam opem providebat inermis atque exsul, seu taedio „ambiguae spei, an amore conjugis et liberorum, qui„bus placabiliorem fore Principem rebatur nulla solli„citudine turbatum. Sunt qui alios a socero nuntios „venisse ferant, tanquam nihil atrox immineret, docto„resque sapientiae, COERANUM Graeci, MUSONIUM Tusci „generis, constantiam opperiendae mortis pro incerta et „trepida vita suasisse." (1) Postquam interfecti caput

(1) Hi fuerint Stoici, ut ex ipso eorum consilio apparere videtur huic enim sectae deditum fuisse RUBELLIUM jam supra vidimus.

ad NERONEM delatum est una cum FAUSTI SULLAE, in Gallia necati, ad senatum literas misit, „utriusque „ingenium turbidum esse, et sibi incolumitatem reipu„blicae magna cura haberi." Quibus perlectis senatus servili imperatoris metu indignum commisit facinus, quod tradit TACITUS hoc modo: „Decretae eo nomine „supplicationes, utque SULLA et PLAUTUS senatu mo„verentur, gravioribus tamen ludibriis quam malis." Uxor quoque et socer RUBELLII PLAUTI postea, A. U. 818 (p. Chr. 65) a NERONE morte multati sunt, cujus rei causam TACITUS affert *Annal.* Libr, XVI, cap. X: „invisi Principi, tanquam vivendo exprobra„rent interfectum esse RUBELLIUM PLAUTUM generum „LUCII VETERIS." Anno autem sequenti SORANUS quidam RUBELLII PLAUTI amicitiae accusatus mortem obiit (1).

Praeter RUBELLIUM PLAUTUM nonnullos e NERONIS temporibus memorat JUVENALIS, quorum alii principis saevitia interfecti sunt, alii eidem superstites fuerunt, alii vel ad DOMITIANI usque tempora vixerunt. Nonnulli quoque, ut BRITANNICUS, BAREA, HELVIDIUS PRISCUS, THRASEA, laudantur potius quam culpantur, aut ita saltem memorantur, ut scelera in eos perpetrata vituperentur; de quibus igitur in hac paragrapho nobis agendum non est. Videamus autem de aequalibus, qui ab his plane diversi, ob malos mores culpantur.

Ordiamur a CAPITONE, de quo legimus Sat. VIII, vs. 91 sqq.

---

(1) cf. DIO CASSIUS Libr. LXII, pag. 713 sq.

Respice quid moneant leges, quid curia mandet,
praemia quanta bonos maneant, quam fulmine justo
et Capito et Numitor ruerint damnante senatu,
piratae Cilicum. Sed quid damnatio confert?

Intelligendus esse videtur COSSUTIANUS CAPITO (1), Ciliciae praefectus, repetundarum damnatus, de quo mentio fit apud TACITUM, in cujus *Annal.* Libr. XI, cap. V, sq. legimus A. U. 800 (p. Chr. 47) patres ab imperatore CLAUDIO petivisse, ut lege Cincia de donis et muneribus perfidiae advocatorum resisteret, et SILIUM, consulem designatum, vehementem in eos habuisse orationem, qui repetundarum essent accusandi. In horum numero autem quum essent SUILLIUS et COSSUTIANUS CAPITO, „qui" (TACITI verba sunt eorum culpam indicantis) „non judicium (quippe in manifestos) sed poe„nam statui videbant", imperatorem deprecati sunt ne comdemnarentur. Quid autem oratione se defendendo a CLAUDIO impetrati sint legimus cap. VII hoc modo: „Ut minus decora haec, ita haud frustra dicta Princeps „ratus, capiendis pecuniis posuit modum usque ad dena „sestertia, quem egressi repetundarum tenerentur". COSSUTIANUS igitur CAPITO tunc quidem absolutus esse videtur; postea tamen A. U. 810 (p. Chr. 57) iterum repetundarum reus damnatus est, ut legimus apud TACITUM *Annal.* Libr. XIII, cap. XXXIII. Quum enim Ciliciae praefectus fuisset, provinciales eum accusarunt, „maculosum", ut ipsius TACITI utar verbis, „foedumque „et idem jus audaciae in provincia ratum, quod in Urbe „exercuerat," qua tam vehementi accusatione perculsus,

(1) Hujus nominis originem legimus apud PRISCIANUM, Libr. IV, cap. II, § 7, qui dicit CAPITONEM a capite esse derivatum.

omissa defensione, damnatus atque ordine senatorio motus est, in quem ordinem ascitum eum esse adnotat BRITANNICUS, precibus soceri sui TIGELLINI, qui plurimum valeret apud NERONEM. (1) CAPITONIS autem et TIGELLINI auri cupiditas cognoscitur quoque ex iis, quae TACITUS narrat de testamento ANNAEI MEL(L)AE, poëtae LUCANI patris, qui A. U. 819 (p. Chr. 66) mortem obiit. Scribit enim TACITUS *Annal.* Lib, XVI, cap. XVII: „At MELLA, quae tum promptissima mortis via, „exsolvit venas, scriptis codicillis, quibus grandem pe„cuniam in TIGELLINUM generumque ejus COSSUTIA„NUM CAPITONEM erogabat, quo cetera manerent." Eodem anno CAPITO ulcisci instituit THRASEAM, cui valde iratus erat, quod eo Cilicum accusationi suffragante repetundarum damnatus esset. In quo narrando TACITUS severum de CAPITONE judicium fert *Annal.* Libr. XVI, cap. XXI his verbis: „praeter animum ad fla„gitia praecipitem." Una igitur cum MARCELLO EPRIO accusavit THRASEAM, qui quum NERONI admodum invisus esset propter dicendi agendique libertatem et veteres mores, capitis damnatus est, accusatoribus autem quinquagies sestertium singulis datum esse narratur. Jam prius idem CAPITO A. U. 815 (p. Chr. 62) praetorem ANTISTIUM (2), ob carmina famosa in NERONEM, majestatis accusavit, qui tamen a THRASEA tanta dicendi libertate defensus est, ut senatus eum absolveret, quod senatus decretum quum consules exsequi non

(1) Hoc sic intelligendum esse mihi videtur, eum prius repetundarum damnatum senatu motum esse, postea vero opera TIGELLINI denuo in senatorum numerum receptum esse, quod confirmari mihi videtur loco TACITI *Annal.* Libr. XIV, cap. XLVIII.

(2) Vid. TACITUS *Annal.* Libr. XIV, cap. XLVIII.

auderent, missis ad NERONEM literis de ea re dataque ab imperatore absolvendi licentia, ANTISTIUS periculum effugit. Ex omnibus igitur, quae apud TACITUM memorata invenimus, cognoscimus COSSUTIANUM CAPITONEM fuisse rapacem, invidiosum, turpissimum delatorem, quem JUVENALIS vix satis culpavit. Praeter TACITUM apud unum QUINTILIANUM CAPITONIS mentionem factam inveni, qui *Inst. Or.* Libr. VI, cap. I ut arrogantem impudentemque hominem hoc modo eum culpat: „Egregieque nobis adolescentibus dixisse accusator (1) „COSSUTIANI CAPITONIS videbatur, Graece quidem, sed „in hunc sensum, *Erubescis Caesarem timere.*"

Praeter COSSUTIANUM, FONTEJUM quoque CAPITONEM JUVENALIS memorat Sat. XIII, vs. 17.

Stupet haec, qui jam post terga reliquit
Sexaginta annos Fontejo consule natus.

Quae quum non culpandi causa afferat poëta, brevi de eo absolvamus. Quia autem plures FONTEJI CAPITONES rebus publicis praefuerunt, videndum est de quo h. l. agatur. Quum igitur omnes fere interpretes existiment Sat. XIII HADRIANO jam imperante scriptum esse, vix alius FONTEJUS CAPITO h. l. intelligi potest, quam qui sub imperio NERONIS cum C. VIPSTANO consul fuit A. U. 812 (p. Chr. 59), quem memorat TACITUS *Annal.* Libr. XIV, cap. I, qui *Hist.* Libr, I, cap. LII eundem, Germaniae inferiori praefectum hoc modo vituperat: „Redditi plerisque ordines, remissa ignominia, allevatae „notae, plura ambitione, quaedam judicio, in quibus

(1) Ut e verbis *Graece quidem* confici potest, QUINTILIANUS h. l. intelligit unum e legatis Cilicum, qui eum repetundarum accusarent.

„sordem et avaritiam Fonteji Capitonis adimendis „assignandisve militiae ordinibus integre mutaverat." Idem l. l. cap. VII enarrans Capitonem in Germania a Cornelio Aquino et Fabio Valente interfectum esse (1), his verbis de eo loquitur: „Capitonem, ut „avaritia et libidine foedum ac maculosum cet." Cujus tamen caedem aegre tulisse exercitum, cujusque memoriam gratam fuisse militibus legimus apud eundem scriptorem *Hist.* Libr. I, cap. VII et VIII. Praeter Tacitum et Suetonium apud Plinium quoque duobus locis (2) de ejus consulatu cum Vipstano mentio fit, quibus Coss. solis defectus observatus esse narratur.

Fabricius Vejento, senator sub Domitiano tribus locis in Satiris memoratur, quem jam Nerone imperante vixisse docemur a Dione Cassio Libr. LXI, pag. 692 C, ubi mentio fit Auli Fabricii praetoris. Qui quum ludos circenses esset editurus, homines, qui equos alebant et aurigae, vani et impudentes, quippe quibus Nero nimis favebat, non nisi ingenti mercede se certaturos esse statuerunt; quibus quum praetor hanc ob rem uti noluisset, canes certare doctos currui junxit. Quo factum est ut duae aurigarum factiones certare recusarent; sed tamen ludi peracti sunt atque ipse Nero, ut narrat Dio Cassius, „τὰ ἆθλα τοῖς ἵπποις „αὐτὸς ἔθηκεν." Non potuit quin Fabricius tanta audacia Neronis iram excitaret, qui postea ob libellum famosum Italia eum pepulit. Legimus enim apud Tacitum *Annal.* Libr. XIV, cap. L. A. U. 815 (p.

(1) Res novas enim moliri videbatur, quod tradit etiam Suetonius *in vita Galbae* cap. XL.

(2) Vid. Plinius *H. N.* Libr. II, 180 et Libr. VII, 84.

Chr. 62) FABRICIUM VEJENTONEM duplici crimine accusatum esse a TALIO GEMINO, quod libros edidisset, quibus titulus esset *Codicilli*, in quibus multa probrosa in patres et sacerdotes invenirentur, quodque ab eo munera Principis et adipiscendorum honorum jus venditata essent. Reus igitur quum factus esset, damnatus Italia pulsus est a NERONE, qui libros quoque ejus comburi jussit, de quibus haec TACITUS: „conquisitos lec„titatosque, donec cum periculo parabantur: mox licen„tia habendi oblivionem attulit." At NERONE mortuo Romam eum rediisse conficio ex locis JUVENALIS, qui senatorem eum memorat sub DOMITIANO. Legimus enim Sat. III, vs. 185:

. . . . quid das, ut Cossum aliquando salutes
Ut te respiciat clauso Vejento labello?

Hoc loco inducitur ut nobilis superbus, qui pauperibus clientibus ad se adeundi potestatem recusat, *quia crinem deponat amati* (1). In Sat. VI ejus uxor EPPIA narratur, relicto marito, gladiatorem, quem adamaret, secuta esse. Nomina tamen EPPIA et SERGIOLUS ficta esse videntur; poëta autem alludere videtur ad simile factum, quod de ANTONIO narratur a CICERONE *in Orat. Phil.* II, cap. XXV, § 62: „Tum existima-

(1) Facio enim cum DÖLLENIO: *Beiträge zur Kritik u. s. w. des Juvenals*, pag. 94 dicenti: »Jedenfalls wäre es höchst unpassend, wenn »der Dichter die Sclaven beider Herren einen und denselben Vorwand »zur Abweisung der Clienten gebrauchen liesse. Daher kann ich mit »den Auslegern nicht übereinstimmen, welche bisher noch alle den Gen. »*amati* auch zum ersten Satz *ille metit barbam* gezogen haben," et brevi»post: »Mir scheint es richtiger *ille metit barbam* vom Cossus zu verstehen..... *crinem amati* vom VEJENTO.

„vit, se suo jure cum HIPPIA vivere, et equos vecti„gales SERGIO mimo tradere."

„In Sat. IV FABRICIUS VEJENTO inter senatores nominatur, qui jussu DOMITIANI convenire finguntur, ut de rhombo coquendo sententiam dicant. Vs. 113 autem vocatur *prudens Vejento*, quod epitheton sic intelligendum videtur, eum exsilio, quo a NERONE multatus erat, prudentiorem factum DOMITIANI tempore admodum cavisse ne imperatorem offenderet. Ex audaci viro, qualis ante fuerat, jam adulatorem servilem eum esse factum conficimus e vs. 123 sqq.:

Non cedit Vejento, sed ut fanaticus oestro
percussus, Bellona, tuo, divinat et „ingens
omen habes," inquit, „magni clarique triumphi.
Regem aliquem capies, aut de temone Britanno
excidet Arviragus. Peregrina est belua, cernis
erectas in terga sudes?" Hoc defuit unum
Fabricio, patriam ut rhombi memoraret et annos.

Tali igitur prudentia et adulatione effecit ut DOMITIANO superstes esset, quo occiso VEJENTONEM inter senatores offendimus apud PLINIUM *Epist.* Libr. IX, ep. XIII, qui narrat se in senatu accusasse PUBLICIUM CERTUM, quem multi senatores defenderent, quibus quum respondisset PLINIUS, VEJENTONEM iterum frustra verba facere conatum esse, quia oratione sua plerosque senatores ad suam sententiam perduxisset. Legimus enim l. l. § 19: „Finio: incipit respondere VEJENTO: nemo „patitur: obturbatur, obstrepitur, adeo quidem ut di„ceret „„rogo, patres conscripti, ne me cogatis inplo„„rare auxilium tribunorum."" Et statim MURENA tri„bunus „„permitto tibi, vir clarissime VEJENTO, dicere.""

„Tum quoque reclamatur. Inter moras consul citatis „nominibus et peracta discessione mittit senatum ac „paene adhuc stantem temptantemque dicere VEJENTO-„NEM reliquit. Multum ille de hac (ita vocabat) con-„tumelia questus est Homerico versu:

ὦ γέρον, ἦ μάλα δή σε νέοι τείρουσι μαχηταί."

Idem PLINIUS narrat senatorem FABRICIUM VEJENTONEM imperatoris NERVAE familiarem fuisse; legimus enim Libr. IV, ep. XXII, § 4: „Cenabat NERVA cum „paucis: VEJENTO proximus atque etiam in sinu re-„cumbebat: dixi omnia, cum hominem nominavi." Ultimis autem verbis culpatio inesse videtur (1).

RUBRII nomen legimus Sat. IV, vs. 105:

Nec melior vultu, quamvis ignobilis, ibat
Rubrius, offensae veteris reus atque tacendae,
Et tamen improbior satiram scribente cinaedo.

De quo RUBRIO haec dicantur, vel quae offensa vetus crimini ei vertatur, valde ambigunt interpretes. Sunt qui existiment, in quibus HEINRICHIUS, RUBRIUM GALLUM significari, qui a TACITO et DIONE CASSIO memoretur NERONIS dux, quique in bellis civilibus postea CAECINAE persuaserit, ut ad VESPASIANI partes transgrederetur; quem eundem VESPASIANO imperante adversus Sarmatas missum esse tradit FLAVIUS JOSEPHUS.

---

(1) Confirmari id mihi videtur testimonio AURELII VICTORIS *Epitom.* cap. XII, ubi idem NERVAE convivium memorat: »Qui, convivio familiari »adhibitus, quum VEJENTONEM, consulari honore functum quidem apud »DOMITIANUM, tamen multos occultis criminationibus persecutum, adesse »vidisset cet."

Quorum si vera opinio est, *vetus offensa* intelligenda erit consilium proditionis, a RUBRIO CAECINAE datum, quod tamen vix probandum esse mihi videtur. Hujus enim rei tam crebra fuerant in bellis civilibus exempla, ut JUVENALIS verba *offensae veteris atque tacendae* de tali re nimis acerba essent vocanda. Ergo quae a JUVENALE dicuntur in RUBRIUM GALLUM quidem convenire non videntur, sed in alium quempiam nobis ignotum. De *vetere* autem illa *offensa* legimus apud Scholiasten: „Iste RUBRIUS aliquando JULIAM „in pueritia corruperat, et verebatur ne pro hac mer„cede poenam ab ipso reposceret." Sed quaenam fue„rit illa JULIA prorsus incertum est, quam alii TIBIAM, TITI filiam alii nominent: sunt etiam qui DOMITIANI uxorem significari suspicentur.

CRISPUS hoc modo inducitur Sat. IV vs. 81 sqq.:

. . . . venit et Crispi jucunda senectus,
cujus erant mores qualis facundia, mite
ingenium.

Haec primo intuitu in laudem potius, quam in vituperium dici videntur; verum ubi sequentia adjungis, apparet non malos quidem viri mores vel flagitia culpari, ut ceterorum fere, sed nimiam ejus animi mollitiem atque ignaviam notari, qua tectus ad summam quidem senectutem inviolatus vixerit, nec tamen boni civis functus sit officio. Ita enim pergit:

. . . . maria ac terras populosque regenti
quis comes utilior, si clade et peste sub illa
saevitiam damnare et honestum adferre liceret
consilium? sed quid violentius aure tyranni,

cum quo de pluviis aut aestibus aut nimboso
vere locuturi fatum pendebat amici?
Ille igitur nunquam direxit bracchia contra
torrentem, nec civis erat, qui libera posset
verba animi proferre et vitam impendere vero:
sic multas hiemes atque octogesima vidit
solstitia, his armis illa quoque tutus in aula.

Nil mirum autem si poëta, vir acris ingenii, qui libere de aequalibus suis sententiam dicere auderet eorumque flagitia perstringere, tantam ignaviam ferre non potuit, ac senem quietae vitae quam veritatis amantiorem contemtu dignum existimavit. Quae ad h. l. Scholiasta adnotavit minime convenire in nostrum Crispum vel inde intelligitur, quod in aliis dicit, eum periisse per fraudem Agrippinae, Neronis matris. Videtur autem Domitianum cum Nerone confundere, quo nomine illum in Scholiis saepe indicari notum est. Hanc ob rem multi interpretes quae in Scholiis leguntur accipiunt de Crispo Passieno (1), quum hîc sermo sit de Vibio Crispo, de quo non iniquum judicium tulisse poëtam aliorum scriptorum testimoniis confirmatur, quin etiam Tacitus nonnullis locis severius quam Juvenalis de eo judicat. *Hist.* enim Libr. II, cap. X legimus „Vibius Crispus, pecunia, potentia, ingenio inter claros „magis quam inter bonos, Annium Faustum, equestris or„dinis, qui temporibus Neronis delationes factitaverat, „ad cognitionem senatus vocabat." Cujus accusationis causam his verbis addit: „Ad hoc terroris et propria „vi Crispus incubuerat, delatorem fratris sui perver-

(1) De eo mentio fit apud Tacitum *Annal.* Libr. VI, cap. XX aliisque locis; nomen ei fuisse videtur C. Vibius Crispus Passienus, quod nomen ipsum Scholiast. errasse fecerit.

„tere cet." ANNIUM FAUSTUM ex hac accusatione A. U. 822 (p. Chr. 69), non diu post GALBAE mortem, damnatum esse legimus, sed ex TACITI verbis conficimus CRISPUM accusatorem civium favore usum non esse; scribit enim: „Mox damnatus est FAUSTUS ne„quaquam eo assensu civitatis, quem pessimis moribus „meruerat; quippe ipsum CRISPUM easdem accusationes „cum praemio exercuisse meminerant, nec poena cri„minis, sed ultor displicebat." CRISPI autem illius fratris nomen a TACITO memoratur *Annal.* Libr. XIV, cap. XXVIII, ubi VIBIUS SECUNDUS vocatur, eques Romanus, qui quum repetundarum damnatus Italia pulsus esset, fratris opibus enisus est. Potens quamvis et dives, VIBIUS CRISPUS invisus erat civibus ut delator. Legimus enim apud TACITUM *Hist.* Libr. IV, cap. XLI eum, VESPASIANO imperante, insidiatum esse PACTIO AFRICANO; et eodem die, quo, ut supra vidimus, CURTIUS MONTANUS REGULUM aggressus esset, quum HELVIDIUS MARCELLUM prosternere conaretur, VIBIUS CRISPUS cum hoc senatum se relicturum esse simulavit, ut narrat TACITUS l. l. cap. XLIV hoc modo: „Seque„batur VIBIUS CRISPUS, ambo infensi, vultu diverso, „MARCELLUS minacibus oculis, CRISPUS renidens (1), „donec accursu amicorum retraherentur." Ob eloquentiam et MARCELLUS ille et VIBIUS CRISPUS laudantur in *Dialogo de oratoribus* cap. VIII, ubi M. APER talem de iis sententiam tulisse fertur: „Ausim contendere, „MARCELLUM hunc EPRIUM, de quo modo locutus sum, „et CRISPUM VIBIUM (libentius enim novis et recen„tibus quam remotis et obliteratis exemplis utor) non

(1) Vocabulo *renidens* optime convenire mihi videntur JUVENALIS verba: *Crispi jucunda senectus.*

„minus nosci in extremis partibus terrarum, quam Ca-„puae aut Vercellis (1), ubi nati dicuntur. Nec hoc „illius alterius ter milies sestertium (2) praestat, (quam-„quam ad has ipsas opes possunt videri eloquentiae be-„neficio venisse) [sed] ipsa eloquentia cet." At praeter eloquentiam magnam partem delationibus suas opes debuisse mihi videtur. Pergit APER demonstrando eos, quos obscuro loco et in paupertate natos esse dicit, eloquentia potentiam et VESPASIANI favorem consecutos esse: solamque eloquentiam eos commendasse hoc modo probare studet: „neuter moribus egregius, alter habitu „quoque corporis contemptus cet." Finem deinde dicendi facit his verbis: „His igitur et honoribus et or-„namentis et facultatibus refertas domos eorum videmus, „qui se ab ineunte adolescentia causis forensibus et „oratorio studio dederunt." Ad quae APRI verba poëta CURIATIUS MATERNUS, qui longe diversum judicium fert de VIBIO CRISPO et MARCELLO, in aliis, cap. XIV, haec respondet: „Nam CRISPUS et MARCELLUS, „ad quorum exempla me vocas, quid habent in hac „praesenti fortuna concupiscendum? [an] quod timent? „an quod timentur? quod, quum quotidie aliquid ro-„gentur, hi, quibus praestant, indignantur? *quod alligati cum adulatione nec imperantibus unquam satis servi vi-„dentur, nec nobis satis liberi? Quae haec summa eorum*

(1) CRISPUM Vercellis natum esse in Scholiis quoque indicari statuunt nonnulli interpretes, qui pro *Crispus municeps Viselliensis* legunt *Vercellensis;* quamquam animadvertendum est Scholia hunc CRISPUM cum alio confudisse.

(2) CRISPUM, de quo agunt Scholia, divitem quoque fuisse conficitur his verbis Scholiastae: »Possedit bis millies sestertium." Vocabulum autem *alterius* ad *Crispum* refero; cf. quae dicit DÖLLEN, operis laud. pag. 354 sqq. de usu vocabuli *alterius*.

„*potentia est? Tantum posse liberti solent.*" Cujus judicium mihi quidem verius esse videtur quam APRI, et magis congruens iis, quae de CRISPO docent TACITUS et JUVENALIS.

De CRISPI eloquentia mentionem etiam facit QUINTILIANUS, apud quem Libr. V, cap. XIII, pag. 474 illa legimus: „At quidam, contradictione non contenti, „totos etiam locos explicant, *scire se hoc dicturos ad-„versarios, et ita persecuturos.* Quod factum venuste „nostris temporibus elusit VIBIUS CRISPUS, vir ingenii „jucundi et elegantis: „„Ego vero,"" inquit, „„ista non „„dico: quid enim attinet illa bis dici?"" Idem Libr. X, cap. I, pag. 919 tale judicium de eo fert: „Et VI-„BIUS CRISPUS, compositus et jucundus (1), et delecta-„tioni natus: privatis tamen causis, quam publicis melior."

Tum exstat epigramma quoddam, SENECAE vulgo tributum, in quo agitur de CRISPO quodam, auctoris amico, qui propter eloquentiam laudatur; legimus enim vs. 2 sq:

Crispe vel antiquo conspiciende foro:
Crispe potens nunquam, nisi cum prodesse volebas.

et vs. 7 sqq:

Crispe, fides dulcis, placidique acerrima virtus;
Cujus Cecropio pectora melle madent
Maxima facundo vel avo, vel gloria patri:
Quo solo careat si quis, in exsilio est (2).

Interpretes in dubio sunt ad quemnam CRISPUM haec

(1) Cf. QUINTIL. *Or. Inst.* Libr. XII, cap. X, pag. 1088.

(2) Hic versus minus dilucidus est; sententia tamen esse videtur ejusmodi: si quis eo solo, Cecropio, careat, jam in exsilio esse videri potest, ita ut *Atticam venustatem* significare videatur.

spectent, utrum ad PASSIENUM, an ad alium. LIPSIUS haec adnotat: „Fuit sane olim CRISPUS, nomine gentili VIBIUS, inter jucundos suavesque oratores, et „tempore FLAVIORUM principum gratiosus. Potest ad „illum epigramma esse, sed ab exsule alio (1): et non „sunt profecto haec omnia unius viri, aut stili." Hoc certe LIPSIO facile concedimus, si in CRISPUM VIBIUM scriptum est illud epigramma, SENECAM auctorem esse non potuisse; sed nihil tamen inde certiores fimus, a quo et in quem fuerit editum.

Non immerito autem JUVENALEM locutum esse de jucunda CRISPI senectute probari videtur facete dictis, quae a scriptoribus nonnullis CRISPO tribuuntur. Legimus enim apud SUETONIUM *in vita Domitiani* cap. III: Inter initia principatus, quotidie secretum sibi „horarum sumere solebat: nec quidquam amplius, quam „muscas captare, ac stilo praeacuto configere: ut cuidam „interroganti, essetne quis intus cum Caesare, non absurde „responsum sit a VIBIO CRISPO, *ne musca quidem.*" Item apud QUINTILIANUM *Or. Inst.* Libr. VIII, cap. V, pag. 723: „Ex inopinato: ut dixit VIBIUS CRIS„PUS in eum qui, cum loricatus in foro ambularet, „praetendebat, id se metu facere, *quis tibi sic timere „permisit?*" Sic narrat DIO CASSIUS Libr. LXV, pag. 734 D, VIBIUM CRISPUM, quum propter nimias VITELLII epulas aegrotaret, dixisse: „*εἰ μὴ ἐνοσήκη, πάντως „ἂν ἀπολώλη.*"

Saepius etiam apud MARTIALEM nomen CRISPI memoratum invenimus: quod dicit Libr. IV, ep. LIV

(1) His verbis LIPSIUS illud significare mihi videtur, epigramma ad VIBIUM CRISPUM quidem scriptum esse posse, non vero a SENECA, sed ab alio quodam, qui exsul erat.

divitior Crispo, ad nostrum VIBIUM CRISPUM spectare potest. Dubium vero est, an in eundem conveniant quae legimus Libr. V, ep. XXXII:

> Quadrantem Crispus, tabulis, Faustine, supremis
> non dedit uxori. „Cui dedit ergo?" Sibi.

Item CRISPUS quidam avarus notatur Libr. X, ep. XIV, quum Libr. X, ep. II et Libr. XII, ep. XXXVI de anteriorum temporum CRISPIS agatur.

De VIBII CRISPI vita ceteroquin non constat, nisi forte idem proconsul Africae a PLINIO memoratur *Hist. Nat.* Libr. XIX s. 1. HEINRICHIUS denique in sua JUVENALIS editione adnotat eum iterum consulem fuisse jam A. U. 794 (p. Chr. 41) primo imperii anno CLAUDII, non addito tamen fonte unde hoc hauserit.

Multorum praeterea in Satiris virorum mentio fit, qui sub DOMITIANO vixerint, quorum plerique serviles adulatores et viles delatores essent, nonnulli etiam obscuro loco nati, sed vitiis et adulatione principis favorem adepti, de quibus jam singulis videamus.

ACILIUS inducitur Sat. IV, vs. 94 sqq.:

> Proximus ejusdem properabat Acilius aevi
> cum juvene indigno, quem mors tam saeva maneret
> et domini gladiis tam festinata cet.

De duobus ACILIIS, patre et filio, loquitur poëta, quorum hunc a DOMITIANO exsilio multatum esse legimus apud SUETONIUM *in vita Domitiani* cap. X: „Com„plures senatores, in his aliquot consulares, interemit: „ex quibus CIVICAM CEREALEM in ipso Asiae procon„sulatu, SALVIDIENUM ORFITUM, ACILIUM GLABRIO-

„NEM exsilio, quasi molitores novarum rerum cet." Consulem autem fuisse narrat DIO CASSIUS cum ULPIO TRAJANO A. U. 844 (p. Chr. 91), quo anno idem prodigium GLABRIONI mortem imminentem, TRAJANO imperium futurum portendisse dicitur. Qui quum consulatum gereret a DOMITIANO in Albano suo arcessitus est, quumque venisset imperator eum coëgit pugnare adversus ingentem ferocemque leonem, e quo certamine victor discessit. Quam ob rem iratus DOMITIANUS eum exsilio multavit, ficta rerum novarum accusatione; eundemque postea, A. U. 848 (p. Chr. 95) ut videtur, interficiendum curavit. Patrem vero ACILIUM in Scholiis legimus ideo servatum esse a NERONE i. e. a DOMITIANO, ut miserias sentiret orbitatis, quae sane narratio moribus saevissimi tyranni optime convenire videtur.

DOMITIUS CALDERINUS, nullis tamen additis argumentis, adnotat hunc ACILIUM GLABRIONEM eundem esse, quem PLINIUS *Epist.* Libr. I, ep. XIV § 6 P. ACILIUM vocet et gravitate, prudentia, fide prope singulari fuisse dicat. Unius autem JUVENALIS testimonio docemur ACILIUM GLABRIONEM, filium, insaniam simulasse, ut tyranni crudelitatem effugeret; legimus enim vs. 99 sqq.

> Profuit ergo nihil misero, quod comminus ursos (1)
> figebat Numidas Albana nudus harena
> venator. Quis enim jam non intellegat artes
> patricias? quis priscum illud miratur acumen,
> Brute, tuum? facile est barbato imponere regi.

(1) Ad h. l. in Scholiis legimus: »et iste juvenis in lusorio Caesaris »ursos saepe quasi venator occidit." Et recte HEINRICHIUS adnotare mihi videtur: »Er erlegte Bären bei den venationibus, die DOMITIAN auf dem »Albanum häufig anstellte. DIO sagt: er focht mit einem Löwen. Das »streitet nicht: das Löwengefecht war sein letztes u. s. w."

Plura de ACILIIS illis nota non sunt, sed multos ejusdem nominis Romae vixisse satis cognitum est; a SENECA in aliis ACILIUS AVIOLA, in epistolis Plinianis ACILIUS RUFUS, apud alios scriptores alii memorantur.

In senatorum numero, qui in Sat. IV notantur, acerbissime quoque carpitur CATULLUS MESSALINUS vs. 113 sqq:

et cum mortifero prudens Vejento Catullo,
qui nunquam visae flagrabat amore puellae;
grande et conspicuum nostro quoque tempore monstrum,
caecus adulator dirusque a ponte satelles,
dignus Aricinos qui mendicaret ad axes
blandaque devexae jactaret basia redae.
Nemo magis rhombum stupuit, nam plurima dixit
in laevam conversus, at illi dextra jacebat
belua. Sic pugnas Cilicis laudabat et ictus
et pegma et pueros inde ad velaria raptos.

Non immerito quidem hunc caecum delatorem atro carbone a poëta notari, aliorum etiam scriptorum testimoniis confirmari videmus. Severum enim de eo judicium legitur apud PLINIUM *Epist.* Libr. IV, ep. XXII, § 5, qui quum narrasset imperatorem NERVAM cum paucis aliquando familiaribus coenasse, sic pergit: „Incidit sermo de CATULLO MESSALINO, qui luminibus orbatus ingenio saevo mala caecitatis addiderat: non verebatur, non erubescebat, non miserebatur: quo saepius a DOMITIANO non secus ac tela, quae et ipsa caeca et improvida feruntur, in optimum quemque contorquebatur. De hujus nequitia sanguinariisque sententiis in „commune omnes super cenam loquebantur, cum ipse

„imperator „„quid putamus passurum fuisse si viveret?"" „et MAURICUS „„nobiscum cenaret."" Mortuus igitur esse videtur DOMITIANO adhuc imperante infamis iste CATULLUS MESSALINUS, quem, lectis his PLINII verbis, facile intelligimus a poëta *mortiferum* esse vocatum et *monstrum*, dignum qui mendicaretur. A TACITO quoque culpatur *in vita Agricolae* cap. XLV: „et intra „Albanam (1) arcem sententia MESSALINI strepebat," unde cognoscimus eum inter DOMITIANI familiares et consiliarios fuisse. Quorum scriptorum judicium de vilissimo isto delatore confirmatur quoque ab AURELIO VICTORE, qui *Epitom.* cap. XII idem quod PLINIUS NERVAE convivium memorans, sic de eo loquitur: „men„tione CATULLI facta, calumniatoris praecipui," et brevi post: „HIC jurgiorum disceptator (2) et scientissi„mus et frequens fuit."

De CATULLI MESSALINI vita plura nota non sunt, nam CATULLUS ille, qui memoratur a FLAVIO JOSEPHO *Bell. Jud.* Libr. VII, cap. X, § 1—4 praefectus Libyae Pentapolitanae, sub VESPASIANO morbo exstinctus esse narratur, atque ita diversus sit necesse est a nostro CATULLO, qui sub DOMITIANI etiam imperio vixit.

Praeter turpem delationem JUVENALIS sarcastice etiam ejus caecitatem irridet ejusque libidinem culpat vs. 114:

qui nunquam visae flagrabat amore puellae.

Similem irrisionem, de alio tamen, legimus apud MARTIALEM Libr. VIII, ep. XLIX:

---

(1) Cf. DIO CASSIUS Libr. LXVII, pag. 759 B.

(2) Sunt qui l. l. pro *disceptatore* legant *dispensatorem*, injuria tamen, ut mihi videtur.

Formosam sane, sed caecus diligit Asper.
Plus ergo, ut res est, quam videt Asper amat.

CRISPINUS (1) in Sat. I et IV a poëta maximo cum contemtu memoratur, quin etiam *monstrum nulla virtute redemptum* dicitur. Apud historicos nullam hujus mentionem factam inveni, et praeter JUVENALEM in solis MARTIALIS epigrammatibus nomen ejus legi. Nec tamen fictam personam l. l. intelligendam esse, sed revera CRISPINUM quendam Romae vixisse DOMITIANO imperatori gratum, e Scholiis conficitur. Fuisse autem videtur natione Aegyptius et obscuro loco natus; Sat. I enim vs. 26 a poëta vocatur *pars Niliacae plebis* et *verna Canopi*. MARTIALIS contra eundem laudat, sed animadvertendum est hunc poëtam saepius aulicos imperatoribus maxime gratos illiberali quodam modo adulatum esse. Sic Libr. VII, ep. XCIX CRISPINI favorem sibi conciliare studet, ut apud imperatorem se suaque carmina laudet, cujus epigrammatis initium est:

Sic placidum videas semper, Crispine, tonantem,
nec te Roma minus, quam tua Memphis amet.

De ejus origine in Notis Variorum legimus: „Iste „CRISPINUS fuit de Aegyptiaco patre et Arabica matre.

(1) Plures CRISPINOS Romae vixisse CALDERINUS ad Sat. I, vs. 27 adnotat: »Quatuor CRISPINOS fuisse historia tradit: primum qui eques »dignitate senatoria, CLAUDIO imperante, praefectus praetorii, consulari»bus insigniis donatus, sub NERONE, crimine conjurationis exactus in »Sardiniam, accepto jussae mortis nuncio semet interfecit; TACITUS auc»tor. Alterum NERONIS privignum, qui puer adhuc patris imperio sub»mersus est, ut TRANQUILLUS scribit. Tertium, qui temporibus OTHONIS cum »duobus centurionibus tumultu militari necatus est. Quartum, qui ex »servili conditione Aegyptius DOMITIANI indulgentia ad equestrem censum »pervenit." Quintum addas CRISPINUM philosophum, qui ab HORATIO memoratur Libr. I, Sat. I, vs. 120 et Sat. IV vs. 14.

„Schol. ex vet. ms. apud Barth. Adv. XIII, 13." Piscatorem cum fuisse conficio e Sat. IV, vs. 24 sqq:

. . . . . hoc tu
succinctus patria quondam, Crispine, papyro,
hoc pretio squamam!

ad quem locum recte adnotat HEINRICHIUS: „Nach „32 und 33 bot er anfangs in Rom Fische zu Kauf „als Ausrufer von dem Schiffe, womit er angekommen „war." (1) Postea autem libertinus Romae vixisse videtur, sed cujus fuerit libertus, non satis liquet; HEINRICHIUS suspicatur VETTIUM CRISPINUM BOLANI filium fuisse ejus patronum. Paulatim deinde imperatoris gratiam nactus, ut illis temporibus fieri solebat, ad magnos evectus est honores. In Sat. IV enim inter senatores nominatur et in Scholiis legimus eum fuisse magistrum equitum NERONIS i. e. DOMITIANI, cujus gratia usum esse MARTIALIS jam supra nos docuit, qui praeterea Libr. VIII, ep. XLVIII, vs. 1, sqq. sic de eo loquitur:

Nescit cui dederit Tyriam Crispinus abollam,
dum mutat cultus induiturque togam.
Quisquis habes, humeris sua munera redde, precamur:
non hoc Crispinus te sed abolla rogat.

Ejusdem mollitiem eleganter ridet JUVENALIS Sat. I, vs. 27 sqq:

Cum pars Niliacae plebis, cum verna Canopi
Crispinus, Tyrias humero revocante lacernas,
ventilet aestivum digitis sudantibus aurum,
nec sufferre queat majoris pondera gemmae,
difficile est satiram non scribere.

(1) Idem affirmat HÄCKERMANNUS operis laudati pag. 21: »CRISPIN war »ein Kleinhändler, der seine Fische stückweise marktschreierisch feil»bot (singulatim vendere)."

Idem conficitur ex MARTIALIS l. l. vs. 5 sq:

Non quicunque capit saturatas murice vestes,
nec nisi deliciis convenit iste color.

Sunt etiam qui cognomen ejus *vellicatorem*, quod legitur in Scholio apud Barth. Adv. XIII, 13 mollitiem et luxuriam indicare suspicentur, quod fortasse de turpi potius libidine dictum sit.

In Sat. IV magis etiam perstringitur et maximae accusatur foeditatis; vs. 2 enim *monstrum nulla virtute redemptum* eum vocat poëta, cui crimini dat foedissimam libidinem; *viduas* enim *tantum spernatur adulter*, et cum sacerdote jacuisse narratur, i. e. cum virgine Vestali, ut facile conficitur e verbis additis *terram subitura*. Ad hoc autem flagitium spectare mihi videntur verba Scholiastae, a quo vocatur „unus de consulibus „LICINIAE." DOMITIUS autem CALDERINUS adnotat: „DOMITIANUS cum incesta virginum Vestalium severe „coërceret, tamen CRISPINO adultero notissimo et vir„ginis Vestalis stupratori ignoscebat."

Eundem gulosum deliciisque omnis generis deditum fuisse in Sat. IV affirmatur, quibus facile indulgere eum potuisse ut divitem apparet e vs. 15 sqq., ubi dicitur ingenti pretio, sex scilicet milibus, mullum sibi emisse, et vs. 28 sqq. ejus gulositas hoc modo acerbissime notatur:

quales tunc epulas ipsum glutisse putamus
induperatorem, cum tot sestertia partem
exiguam et modicae sumptam de margine cenae
purpureus magni ructarit scurra Palati,
jam princeps equitum, magna qui voce solebat
vendere municipes fracta de merce siluros.

Tum ita eum carpit vs. 108 sq:

et matutino sudans Crispinus amomo,
quantum vix redolent duo funera cet.

Ex omnibus his locis apparet CRISPINUM fuisse hominem turpissimum dignissimumque, quem JUVENALIS culparet; quod autem a MARTIALE laudatur, vereor ne ipsi poëtae vitio dandum sit. Merito igitur JUVENALIS exclamare mihi videtur vs. 13 sq:

Nam quod turpe bonis, Titio Sejoque, decebat
Crispinum -- quid agas, cum dira et foedior omni
crimine persona est?

MARIUS PRISCUS notatur Sat. VIII, vs. 117 sqq:

. . . . . parce et messoribus illis
qui saturant urbem circo scenaeque vacantem.
Quanta autem inde feres tam dirae praemia culpae,
cum tenues nuper Marius discinxerit Afros?

Poëta his versibus indignatur facinus MARII PRISCI, non quod aliquam provinciam, sed quia Africam depilasset, unde plurimum frumenti Romam mitti soleret. Nec tamen impune istum spoliasse cognoscimus ex epistolis Plinianis, quamquam idem nos docet miserrimum illum spoliatorem non punitum esse pro magnitudine criminis; legimus enim Libr. VI, ep. XXIX, § 9: „Accusavi MARIUM PRISCUM, qui, lege repetundarum „damnatus, utebatur clementia legis, cujus severitatem „immanitate criminum excesserat; relegatus est." Eadem etiam est opinio JUVENALIS Sat. I vs. 47 sqq. scribentis:

. . . . . et hic damnatus inani
judicio (quid enim salvis infamia nummis?)
exsul ab octava Marius bibit et fruitur dis
iratis, at tu victrix provincia ploras?

Ad quos versus recte HEINRICHIUS adnotat: „Diese „Gerechtigkeit half aber der Provinz nichts, die keinen „Ersatz erhielt; und ueberhaupt war die Strafsumme für „den Proconsul eine Kleinigkeit gegen die Tausende, „welche er erpresst hatte. Er lebte vielmehr im Exil „erst recht verschwenderisch; aus der infamia machte „sich der Mensch nichts."

Fuit autem PRISCUS proconsul Africae, qui, TRAJANO imperante, A. U. 853 (p. Chr. 99) ut videtur, ab Afris, cum publice, tum privatim repetundarum accusatus est; nec tamen a tota provincia accusatum esse confici potest e Plinii Libr. III, ep. IX, § 2 sq: „CAECILIUS „CLASSICUS, homo foedus et aperte malus, proconsu„latum in ea (i. e. in Baetica) non minus violenter quam „sordide gesserat eodem anno quo in Africa MARIUS „PRISCUS. Erat autem PRISCUS ex Baetica, ex Africa „CLASSICUS. Inde dictum Baeticorum, ut plerumque „dolor etiam venustos facit, non inlepidum ferebatur. „„dedi malum et accepi."" Sed MARIUM una civitas „publice multique privati reum peregerunt, in CLASSI„CUM tota provincia incubuit." Provinciales autem patronum causae contra MARIUM PRISCUM elegerunt PLINIUM SECUNDUM (1), qui hujus muneris ab imperatore veniam petiit impetravitque (2); consul autem designa-

(1) Vid. PLINIUS *ad Trajanum* ep. III.

(2) Cur hoc fecerit, scribit epist. I. initio: »Ut primum me, domine, »indulgentia vestra promovit ad praefecturam aerarii Saturni, omnibus

tus (1) ei persuasit ut causam excusatione quamvis recepta susciperet. Hanc ille causam, quae per triduum in senatu acta est, accuratissime describit Libr. II, ep. XI, unde cognoscimus omnium animos eam commovisse. Legimus enim § 1: „Accipe ergo quod per hos „dies actum est, personae claritate famosum, severitate „exempli salubre, rei magnitudine aeternum;" et § 10: „praeterea causae amplitudo auctaque dilatione exspec„tatio et fama insitumque mortalibus studium magna et „inusitata noscendi omnes undique exciverat." Ipsum autem PRISCUM parum suae causae habuisse fiduciae inde apparet, quod omissa defensione judicibus supplicasse atque illi, qui in senatu pro eo locuti sunt, ad preces potius quam ad defensionem se convertisse narrantur. Quomodo PLINIUS et CORNELIUS TACITUS, qui provincialibus adesse jussi sunt, de causa et de reo judicaverint, legimus § 2: „existimavimus fidei nostrae con„venire notum senatui facere excessisse PRISCUM im„manitate et saevitia crimina quibus dari judices pos„sent, cum ob innocentes condemnandos, interficiendos „etiam, pecunias accepisset." His respondisse legimus FRONTONEM CATIUM, qui dicitur „vir movendarum la„crimarum peritissimus," et deprecatum esse „ne quid „ultra repetundarum legem quaereretur." Dissentienti„bus hac de re senatoribus, praevaluit sententia JULII „FEROCIS, consulis designati, quem censuisse legimus „§ 5: MARIO quidem judices dandos, evocandos autem, „quibus diceretur innocentium poenas vendidisse." Hi

---

»advocationibus, quibus alioqui nunquam eram promiscue functus, renun»tiavi, ut toto animo delegato mihi officio vacarem."

(1) Hujus anni consules designatos fuisse legimus Libr. II, ep. XI JULIUM FEROCEM et CORNUTUM TERTULLUM.

autem erant VITELLIUS HONORATUS et FLAVIUS MARCIANUS, quorum ille mortuus jam erat, hic absente PRISCO in senatum inductus est. Graves istorum accusationes memoriae prodidit PLINIUS § 8: „ex quibus „HONORATUS trecentis milibus exsilium equitis Romani „septemque amicorum ejus ultimam poenam, MARCIA„NUS unins equitis Romani septingentis milibus plura „supplicia arguebatur emisse; erat enim fustibus caesus, „damnatus in metallum, strangulatus in carcere." Quum tamen TUCCIUS quidam CERIALIS, consularis jure senatorio postulasset PRISCUM in senatum duci, ut commune crimen in utroque puniretur, dilata est causa in proximum senatum. Qui quum iterum convocatus esset, imperatore TRAJANO praeside, frequentibus senatoribus, PLINIUS MARCIANUM et MARIUM accusavit et quinque horas locutus est (1). Neque facile munus se suscepisse ipse dicit § 13: „Erat ergo perquam onerosum „accusare damnatum, quem ut premebat atrocitas cri„minis, ita quasi peractae damnationis miseratio tueba„tur;" sed idem dicit § 14: „Adeo illa ipsa quae dura „et adversa dicturo videbantur secunda dicenti fuerunt." Postquam huic PLINII orationi pro MARCIANO respondit CLAUDIUS MARCELLINUS, senatus missus est. Quum autem postero die senatus denuo convenisset, MARIUS PRISCUS defensus est a SALVIO LIBERALI, qui vocatur a PLINIO „vir subtilis, dispositus, acer, disertus;" cui quum eloquentissime respondisset CORNELIUS TACITUS,

(1) Legimus de ejus oratione ep. I. § 15: »Caesar quidem tantum »mihi studium, tantam etiam curam (nimium est enim dicere sollicitu»dinem) praestitit, ut libertum meum post me stantem saepius admoneret »voci laterique consulerem, cum me vehementius putaret intendi quam »gracilitas mea perpeti posset."

FRONTO CATIUS pro MARIO verba fecit et, ut ipsius PLINII verbis utar, „plus in precibus temporis quam „in defensione consumpsit". Tertio tandem die res peracta est, quo CORNUTUM TERTULLUM ejusmodi sententiam dixisse legimus § 19: „septingenta milia „quae acceperat MARIUS aerario inferenda, MARIO „urbe Italiaque interdicendum, MARCIANO hoc am„plius Africa." Multi senatores quum jam huic sententiae assentirentur, POMPEJUS COLLEGA sic statuendum esse judicavit: „et septingenta milia aerario „inferenda et MARCIANUM in quinquennium relegan„dum, MARIUM repetundarum poenae, quam jam pas„sus esset, censuit relinquendum." Dissentientibus senatoribus, discessio tamen quum fieret, sententia CORNUTI praevaluit atque ita, ut jam supra dictum est, MARIUS PRISCUS relegatus est. Nec ita multo post causa acta est HOSTILII FIRMINI, qui ejusdem legatus fuerat et socius criminum; cujus causa quum in senatu ageretur, decretum est ut in sortitione provinciae ratio ejus non haberetur. Quibus autem criminibus FIRMINUS accusatus sit legimus § 23: „Nam et rationibus „MARCIANI et sermone quem ille habuerat in ordine „Leptitanorum (1) operam suam PRISCO ad turpissi„mum ministerium commodasse, stipulatusque de MAR„CIANO quinquaginta milia denariorum probabatur „cet."

Praeter ea de MARIO PRISCO nihil constat, nisi quod apud MARTIALEM legimus Libr. VII, ep. LXXXVII, vs. 5:

Delectat Marium si perniciosus ichneumon

(1) Inde confici mihi videtur Leptitanos MARIUM PRISCUM repetundarum reum fecisse.

quae ad MARIUM PRISCUM pertinere mihi videntur, qui proconsul Africae fuerit, ubi animal illud invenitur. Minus probabile est de eodem MARIO dici quae legimus Libr. I, ep. LXXXV, ubi de foeneratore hujus nominis agit poëta.

Plures praeterea in Satiris commemorantur, quorum vix quidquam aliunde constat, de quibus brevibus verbis absolvere possumus.

Sat. IV vs. 110 legimus:

. . . . . saevior illo
POMPEJUS tenui jugulos aperire susurro.

Saevum quendam delatorem hic indicari satis apparet; sed quisnam fuerit iste POMPEJUS, non constat inter JUVENALIS interpretes, nec facile indagari poterit ex tam incerto indicio. Sunt qui POMPEJUM RUFUM vel POMPEJUM FALCONEM intelligant, quod tamen ab aliis refutatur. Multi quidem hujus nominis a TACITO et SUETONIO memorantur, ad nullum vero eorum haec JUVENALIS verba referri posse videntur. In epistolis Plinianis duae inveniuntur scriptae ad POMPEJUM quendam FALCONEM, PLINII amicum, in quibus tamen nihil ejusmodi legimus, ut suspicari inde possimus de hoc POMPEJO apud JUVENALEM sermonem esse.

Sat. II, vs. 21:

. . . . . „ego te ceventem, SEXTE, verebor?"
infamis Varillus ait, quo deterior te?

SEXTUS iste, quem poëta ob libidinem turpissimam

perstringit, in Scholiis senator dicitur. Apud nullos scriptores (1) hujus nominis hominem inveni, in quem hi JUVENALIS versus convenire videantur, nisi apud MARTIALEM, qui saepius (2) agit de SEXTO quodam libidinoso et aere alieno obruto. Legimus autem Libr. II, ep. LV:

Vis te, Sexte, coli: volebam amare.
Parendum est tibi: quod jubes, colere:
sed si te colo, Sexte, non amabo.

et ep. LXXXVII:

Dicis amore tui bellas ardere puellas,
qui faciem sub aqua, Sexte, natantis habes.

Sat. I, vs. 12:

FRONTONIS platani convulsaque marmora clamant
semper et adsiduo ruptae lectore columnae.

Ad h. l. in Scholiis adnotatur „in Oratiana domo, „in qua poëtae recitabant," unde conficitur FRONTONEM fuisse fautorem poëtarum, GRANGAEUS eum vocat JULIUM FRONTONEM; DODWELLUS M. CORNELIUM FRONTONEM, magistrum ANTONINORUM; RUPERTIUS M. FRONTONEM, qui ter et cum TRAJANO consul fuit; HEINRICHIUS existimat de anterioris temporis viro h. l. sermonem esse; HENNINIUS Stoicum eum fuisse suspica-

(1) SENECA *in Apocolocynthosi Claudii* memorat SEXTUM TRALLUM, et TACITUS *Annal.* Libr. VI SEXTUM s. SEXTIUM PACONIANUM.

(2) Videantur in aliis Libr. II, ep. III, XIII, XLIV. De alio autem SEXTO sermo esse videtur Libr. III, ep. XXXVIII; Libr. IV, ep. LXVIII; Libr. V ep. V cet.

tur, de quo loquatur fortasse MARTIALIS Libr. XIV, ep. CVI:

Hic tibi donatur panda ruber urceus ansa.
Stoicus hoc gelidam Fronto petebat aquam.

In tanta sententiarum varietate, cum praesertim nullis nitantur argumentis, nihil certi affirmari potest.

Sat. XV, vs. 27:

. . . . . sed nuper consule JUNCO
gesta cet.

Interpretes dubitant utrum JUNCUS an JUNIUS sit vocandus; plerique tamen JUNIUM scribunt, sed inter hos non constat utrum de JUNIO SABINO, consule cum DOMITIANO A. U. 837 (p. Chr. 84), an de Q. JUNIO RUSTICO, consule cum HADRIANO A. U. 872 (p. Chr. 119) h. l. agat JUVENALIS. Accurate de hac re scribit DÖLLENIUS in opere laudato, pag. 269 sqq., qui existimat h. l. sermonem esse de JUNIO RUSTICO, quia JUVENALIS hanc satiram in extrema senectute scripserit: ad quem locum lectorem relegatum volo.

Sat. III, vs. 184 legimus:

Quid das ut COSSUM aliquando salutes?

Idem nomen recurrit Sat. X, vs. 202:

Usque adeo gravis uxori natisque sibique,
ut captatori moveat fastidia COSSO.

Nec tamen eandem personam indicare videtur poëta, quum altero loco de nobili superbo, altero de heredi-

peta sermo sit. Ad quem autem Cossum haec verba pertineant, difficile est dijudicare; sed multos hujus nominis Romae vixisse notum est, inter quos optimos fuisse, vel ex illo Juvenalis versu apparere potest, qui Sat. VIII, vs. 21 dicit:

Paulus vel Cossus (1) vel Drusus moribus esto.

Sat. VIII, vs. 96 Natta et Pansa hoc modo a poëta rapacitatis incusantur:

Quum Pansa eripiat, quidquid tibi Natta reliquit.

Uterque provinciae praefuisse videtur, quam sordido modo diripuerint. Grangaeus suspicatur h. l. sermonem esse de Pinario Natta, qui inter Sejani clientes numeratur, quem Persium memorasse dicit Sat. III, vs. 31. Legimus apud Tacitum *Annal.* Libr. IV, cap. XXXIV, Pinarium illum Nattam et Satrium Secundum, Sejani clientes Cremutium Cordum accusasse „novo ac tunc primum audito crimine, quod editis „annalibus laudatoque M. Bruto C. Cassium Romano„rum ultimum dixisset." Idem inducitur a Seneca in epist. CXXII, pag. 670. Sed hunc Nattam provinciae praefectum fuisse nusquam memoratum inveni. Nec magis de Pansa (2), quod cognomen est Vibiae gentis, quidquam indagare potui, quod h. l. illustrare possit.

---

(1) Apud Tacitum memoratos invenimus Claudium et Cornelium Cossum, quorum hunc etiam Seneca memorat in ep. LXXXIII, pag. 547, dicens eum fuisse »virum gravem, moderatum, sed mersum vino et ma»dentem," qui vixit Tiberio imperante.

(2) Notissimus est Pansa ille, qui cum Hirtio consul fuit.

Sat. XII, vs. 99 sqq. legimus:

. . . . . sentire calorem
si coepit locuples Gallitta et PACIUS orbi?
legitime fixis vestitur tota libellis
porticus cet.

PACII nomen nusquam alibi inveni, sed quum in aliis codd. PACTIUS s. PACCIUS legatur, conferri possumus MARTIALEM Libr. XIV, ep. LXXVIII.

Artis ebur medicae narthecia cernis: habebis
munera, quae cuperet Pactius esse sua.

quae verba quum de homine divite dicta esse videantur, non male convenit cum iis, quae dicit JUVENALIS, quippe qui *locupletem* et *orbum* eum vocet. Qui tamen PACTIUS intelligendus sit valde dubium est, ita ut plerique Satirarum interpretes existiment nomen esse fictitium. GRANGAEUS vero suspicatur h. l. sermonem esse de PACCIO ORPHITO, quem memorat TACITUS. Vix tamen adduci possum ut hujus opinionem meam faciam; quae enim de eo legimus *Annal.* Libr. XIII, cap. XXXVI nullum indicium praebent, unde confici possit de eodem sermonem esse, de quo JUVENALIS agat. Narratur enim primipilus fuisse, qui A. U. 811 (p. Chr. 58) in Armenia contra jussum CORBULONIS cum barbaris congressus magna clade affectus sit. Praeter hunc TACITUS memorat PACTIUM AFRICANUM, de quo *Hist.* Libr. IV, cap. XLI illa memorat: „Ad PAC„TIUM AFRICANUM transgressi eum quoque proturbant „tanquam NERONI SCRIBONIOS fratres concordia opi„busque insignes ad exitium monstravisset. AFRICANUS „neque fateri audebat neque abnuere poterat." Hic,

igitur ut delator notatur, qui NERONIS favore usus esse videtur; quum autem permulti delationibus suis maximum sibi quaesiverint lucrum, hic idem esse posset ac PACTIUS, de quo in Satiris mentio fit, quamquam nihil certi hac de re statui potest, deficientibus argumentis satis firmis.

Postremo legimus Sat, VI vs. 142 sq.

Cur desiderio Bibulae SERTORIUS ardet?
Si verum excutias, facies, non uxor amatur.

Non uno loco MARTIALIS agit de SERTORIO quodam libidinoso et guloso, quem eundem fuisse suspicari possumus atque eum, qui in Satira notatur. Legimus autem Libr. II, ep. LXXXIV:

Cur lingat cunnum Siculus Sertorius, hoc est:
abs hoc occisus, Rufe, videtur Eryx.

Libro III, ep. LXXIX:

Rem peragit nullam Sertorius, inchoat omnes,
Hunc ego, cum futuit, non puto perficere.

tum Libr. VII, ep. X.

In lucem cenat Sertorius. Ole, quid ad te?

Quis fuerit iste SERTORIUS, non liquet; nullum enim hujus nominis hominem apud scriptores memoratum inveni, ad quem haec pertineant. PLINIUS quidem Libr. V, epist. I § 1 mentionem facit SERTORII SEVERI, sed hic vir honestus esse videtur. Legimus autem l.l.: „POMPONIA GALLA exheredato filio ASUDIO CURIANO

„heredem reliquerat me, dederat coheredes SERTORIUM „SEVERUM, praetorium virum, aliosque splendidos equi- „tes Romanos." Haec igitur sufficiant de viris tam parum notis, quibus quum alii minus etiam noti addi possent, operae pretium mihi visum non est; transeamus potius ad aliud genus hominum, libertos dico.

CAPUT TERTIUM

DE LIBERTIS IMPERATORUM.

Quanta auctoritate temporibus imperatorum fuerint liberti, rectissime exponit PLINIUS SECUNDUS *in Panegyrico* cap. LXXXVIII: „Plerique principes, cum es„sent civium domini, libertorum erant servi: horum „consiliis, horum nutu regebantur, per hos audiebant, „per hos loquebantur. Tu (1) libertis tuis summum „quidem honorem, sed tanquam libertis habes, abunde„que sufficere iis credis, si probi et frugi existimentur. „Scis enim praecipuum esse indicium non magni prin„cipis magnos libertos." Quae verba PLINII verissima esse historia Caesarum non uno exemplo docet; vere enim videmus, quo pejor et crudelior, quove stultior et vanior sit imperator, eo magis libertos potentia et divitiis augeri. Auctoritas autem libertorum, quae AUGUSTO imperante parva vel nulla erat, paulatim tantopere crevit, ut omnia fere penes eos esse coeperint. Jam CLAUDIO, stolidissimo illo sene, imperante, liberti, in quibus inprimis nominandi sunt NARCISSUS et PALLAS,

(1) Alloquitur autem TRAJANUM.

et feminae ambitiosae nec minus libidinosae, MESSALINA et AGRIPPINA, totam civitatem administrarunt, ita ut verissima sint SUETONII verba e *vita Claudii* cap: XXV: „Sed et haec et cetera, totumque adeo ex parte magna „principatum, non tam suo, quam uxorum libertorum„que arbitrio administravit: talis ubique plerumque qua„lem esse eum aut expediret illis, aut liberet." Idem fere sic exponit JUVENALIS Sat. XIV, vs. 329 sqq:

Nec Croesi fortuna unquam nec Persica regna
sufficerent animo nec divitiae Narcissi,
indulsit Caesar cui Claudius omnia, cujus
paruit imperiis uxorem occidere jussus.

Crudeli quoque NERONE et saevo DOMITIANO imperantibus magna auctoritate utebantur liberti, multisque viris honestis calamitates mortemve attulerunt, et imperatores ad quaevis scelera aut flagitia committenda incitarunt. Sed priusquam de singulis agamus, quorum nomina in Satiris leguntur, pauca universe dicamus de conditione et potentia libertinorum sub primis imperatoribus. AUGUSTO autem imperante eorum auctoritatem, quod coeperam dicere, non nimiam fuisse, neque illo principe tam familiariter eos usos esse, quam postea factum est, historicorum testimoniis satis probatur. Legimus enim apud SUETONIUM *in vita Augusti* cap. LXXIV: „VALERIUS MESSALA tradit, ne„minem unquam libertinorum adhibitum ab eo coenae, „excepto MENA, sed adserto in ingenuitatem, post pro„ditam SEX. POMPEJI classem." Nec tamen libertos suos despicatui habuisse AUGUSTUM idem SUETONIUS affirmat cap. LXVII hoc modo: „Patronus dominusque „non minus severus, quam facilis et clemens, multos

„libertorum in honore et usu maximo habuit, ut LICI-„N(I)UM, EUNUM, CELADUM, aliosque." Pergit deinde exemplis demonstrando eum malos quidem et flagitiosos servos punivisse, nec tamen saepius eum maxima severitate usum esse (1). Non nisi raro libertinis permisisse, ut militis officio fungerentur, tradit SUETONIUS cap. XXV: „Libertino milite, praeterquam Romae in-„cendiorum causa, et si tumultus in graviore annona „metueretur, bis usus est; semel ad praesidium coloni-„arum, Illyricum contingentium; iterum ad tutelam „ripae Rheni fluminis: eosque servos adhuc viris femi-„nisque pecuniosioribus indictos, ac sine mora manu-„missos, sub priore vexillo habuit, neque aut commix-„tos cum ingenuis, aut eodem modo armatos." Multum abfuisse ut eorum potentiam auctam vellet, conficitur etiam ex illo exemplo, a SUETONIO allato cap. XLIV: „Facto igitur decreto patrum, ut, quoties quid „spectaculi usquam publicum ederetur, primus subselli-„orum ordo vacaret senatoribus; Romae legatos libe-„rarum sociarumque gentium vetuit in orchestra con-„sidere, quum quosdam etiam libertini generis mitti „deprehendisset." Idem tamen imperator, ut civium numerum, bellis civilibus minutum, augeret, omnibus, praeterquam senatoribus, permisit libertinas uxores ducere, ita ut justum matrimonium liberique ex iis procreati legitimi essent.

Jam TIBERIUS, quum AUGUSTO successisset, hujus testamentum recitasse per libertum narratur a SUETONIO *in vita Tiberii* cap. XXIII. Ceteroquin sub hujus imperio nulli liberti a scriptoribus memorantur, quo-

(1) SUETONIUS l. l. hos enumerat: COSMUM, DIOMEDEM dispensatorem, PROCULUM libertum, THALLONEM a manu, paedagogum ministrosque CAJI filii.

rum auctoritas magna fuerit, nisi forte nonnullorum e libertis SEJANI. Post TIBERIUM vero magis magisque potentia libertinorum aucta est, quorum multi in ordinem equestrem admissi sunt, ut legimus apud PLINIUM H. N. Libr. XXXIII, cap. II, s. 8: „Propter „haec discrimina GAJUS princeps decuriam quintam „adjecit tantumque enatum est fastus, ut quae sub divo „AUGUSTO impleri non potuerant decuriae, non capiant „eum ordinem passimque ad ornamenta ea etiam ser„vitute liberati transiliant, quod antea nunquam erat „factum, quoniam in ferreo anulo et equites judicesque „intellegebantur; adeoque promiscuum id esse coepit, „ut apud CLAUDIUM Caesarem in censura ejus unus „ex equitibus, FLAVIUS PROCULUS, quadringentos ex ea „causa reos postularet; ita dum separatur ordo ab inge„nuis, communicatus est cum servitiis (1).

Imperatorem CLAUDIUM nimios honores tribuisse libertis suis, queritur TACITUS *Annal.* Libr. XII, cap. LX, ubi agens de ordine equestri scribit: „MATIOS posthac „et VEDIOS et cetera equitum Romanorum praevalida „nomina referre nihil attinuerit, quum CLAUDIUS liber„tos, quos rei familiari praefecerat, sibique et legibus „adaequaverit (2)." Eundem tamen imperatorem, qui suis libertis omnia fere concederet, interdum in libertinorum genus severum se praebuisse legimus apud SUETONIUM *in vita Claudii* cap. XXV: „Libertinos

(1) Hujus rei exempla legimus apud TACITUM, qui *Hist.* Libr. I, cap. XIII ICELUM GALBAE libertum annulo aureo donatum et MARCIANUM vocatum esse narrat. *Hist.* Libr. II, cap. LVII VITELLIUS dicitur, postulante exercitu, ASIATICUM libertum annulo aureo donasse.

(2) Posterioribus etiam temporibus libertinos annulis aureis saepius donatos esse, in aliis conficitur e JULII CAPITOLINI *vita Opilii Macrini* cap IV.

„qui se pro equitibus Romanis agerent, publicavit. In-„gratos et de quibus patroni quererentur, revocavit in „servitutem: advocatisque eorum negavit se adversus „libertos ipsorum jus dicturum."

At ne hic quidem honor libertinis sufficere videbatur, qui filios saltem suos inter senatores admitti cuperent. Legimus enim CLAUDIUM latum clavum tribuisse filio libertini, „sed," ut addit SUETONIUS *in vita Claudii* cap. XXIV, „sub conditione, si prius ab equite „Romano adoptatus esset." Quae res a CLAUDIO defenditur in oratione quadam, quae est apud TACITUM *Annal.* Libr. XI, cap. XXIV: „At conditor nostri Ro-„MULUS tantum sapientia valuit, ut plerosque populos „eodem die hostes, dein cives habuerit. Advenae in nos „regnaverunt. Libertinorum filiis magistratus (1) man-„davi, non, ut plerique falluntur, repens, sed priori „populo factitatum est." NERO tamen libertinorum filios non amplius in senatum admisit, quin etiam, teste SUETONIO *in vita Neronis* cap. XV, „admissis a prio-„ribus principibus honores denegavit." Attamen suis ipsius saltem libertis eundem favisse conficimus e SUETONII l.l. cap. XXXII et XXXV.

VITELLIUM quoque libertis suis multa indulsisse constat, imprimis ASIATICO et HILARIO, quin etiam libertinorum imagines coluisse traditur a SUETONIO *in vita Vitellii* cap. II: „NARCISSI quoque et PALLANTIS ima-„gines aureas inter Lares coluit." Quod minus mirandum videatur, si verum sit, quod SUETONIUS ex opinione nonnullorum tradit, ipsius VITELLII generis aucto-

(1) CLAUDIUM libertis quoque provinciam Judaeam permisisse legimus apud TACITUM *Hist.* Libr. V, cap. IX. Scimus autem FELICEM, PALLANTIS liberti fratrem, fuisse Judaeae procuratorem.

rem fuisse libertinum. Atqui TACITUS *Hist.* Libr. I, cap. LVIII narrat, VITELLIUM ministeria principatus, per libertos agi solita, in equites Romanos disposuisse.

Quum sub imperio VESPASIANI et TITI, utpote laude dignorum principum, auctoritas libertorum minor fuisset, DOMITIANO imperante denuo libertini magnis honoribus affecti sunt, ut tradit SUETONIUS *in vita Domitiani* cap. VII: „Quaedam ex maximis officiis inter libertinos „equitesque Romanos communicavit." Quum igitur, ut vidimus, a pessimis illis imperatoribus multi e libertinis ad equestrem gradum evecti sint, minime est mirandum, si TACITUS *Annal.* Libr. XIII, cap. XXVII in oratione quadam ita queritur: „Paucorum culpam ipsis exi„tiosam esse debere, nihil universorum juri derogandum: „quippe late fusum id corpus. Hinc plerumque tribus, „decurias, ministeria magistratibus et sacerdotibus, co„hortes etiam in Urbe conscriptas: et plurimis equitum, „plerisque senatoribus non aliunde originem trahi. Si „separarentur libertini, manifestam fore penuriam inge„nuorum." In libello autem de Germania severum ju„dicium de libertis deque eorum auctoritate legimus „ejusmodi cap. XXV: „Liberti non multum supra ser„vos sunt: raro aliquod momentum in domo, nunquam „in civitate, exceptis duntaxat iis gentibus, quae reg„nantur: ibi enim et super ingenuos et super nobiles „ascendunt. Apud ceteros impares libertini libertatis „argumentum sunt." Vehementer his verbis imperii Romani statum perstringit auctor, qui barbararum gentium mores et instituta hac in re laudans, alludit ad foedam libertinorum potentiam, qua Romae utebantur istis temporibus.

Neque auctoritatem tantum et potentiam acquisive-

runt libertini, sed etiam quibusvis modis divitiis potiti sunt. Inde luxuria exorta est tanta, ut SENECA *Nat. Quaest.* Libr. I sub fin. pag. 698 queratur: „Jam liber-„tinorum virgunculis in unum speculum non sufficit „illa dos, quam dedit senatus pro SCIPIONE. Processit „enim immodestius, paulatim opibus (1) ipsis invitata „luxuria: et incrementum ingens vitia acceperunt." His autem divitiis interdum usi sunt libertini ad urbem ornandam; sic balnea ab iis constructa esse legimus, quorum magnificentiam SENECA Epist. LXXXVI sic describit: „Et adhuc plebejas fistulas loquor: quid cum ad „balnea libertinorum pervenero? quantum statuarum, „quantum columnarum est nihil sustinentium, sed in „ornamentum positarum, impensae causa? quantum aqua-„rum per gradus cum fragore labentium? Eo delicia-„rum pervenimus, ut nisi gemmas calcare nolimus."

Saepius autem illi imperatorum liberti auctoritate sua abutebantur ut ad magna facinora eos incitarent, nec raro etiam aliorum liberti dominis terrori erant, quos delationibus (2) et accusationibus vexarent. Quod malum tantopere crevit ut, teste TACITO *Annal.* Libr. XIII, cap. XXVI, de fraudibus libertinorum quum in senatu ageretur A. U. 809 (p. Chr. 56) efflagitatum sit „ut „adversus male meritos revocandae libertatis jus patro-„nis daretur." Miserrimam horum temporum conditionem verissime tali modo describit TACITUS *Annal.* Libr. III, cap. XXXVI: „Incedebat enim deterrimo „cuique licentia impune probra et invidiam in bonos „excitandi arrepta imagine Caesaris, libertique etiam

(1) De opibus libertorum cf. TACITUS *Annal.* Libr. XII cap. LIII, Libr. XIV, cap. LV.

(2) Vid TACITUS *Hist.* Libr. I, cap. II.

„ac servi, patrono vel domino quum voces, quum ma-
„nus intentarent, ultro metuebantur."

Jam vero de singulis imperatorum libertis videamus, quorum nomina in Satiris inveniuntur.

Initium igitur faciamus a LICINO s. LICINIO, qui ut praedives duobus locis a JUVENALE inducitur; legimus enim Sat. I, vs. 102:

. . . . . ego possideo plus
Pallante et Licinis?

et Sat. XIV, vs. 305 sqq.

Dispositis praedives amis vigilare cohortem
servorum noctu Licinus jubet, attonitus pro
electro signisque suis cet.

De quonam autem LICINO his locis sermo sit dissentiunt interpretes, quorum sunt qui, ut CASAUBONUS ad PERSIUM II, 36, existiment agi de LICINIO STOLONE, patre et filio, praedivitibus. Alii contra putant JUVENALEM indicare LICINUM, AUGUSTI libertum, alii autem cum Scholiasta CLAUDII quendam libertum intelligunt. CASAUBONI sententia non satis firmis argumentis niti mihi videtur, quare de liberto potius sermonem esse accipio, inprimis quia una cum PALLANTE ejus nomen profertur, qui notissimus CLAUDII libertus erat. Inde tamen non necessario sequitur LICINUM quoque CLAUDII libertum intelligendum esse, quod si ita se haberet, multo quidem minus notus esset quam PALLAS et NARCISSUS, quorum pervulgata sunt nomina. In Scholiis AUGUSTI et CLAUDII libertus confunditur, quum initio Scholii cum PALLANTE CLAUDII libertus vocetur, sed brevi post AUGUSTI vel potius C. JULII CAESARIS, qui

eum manumisisse narratur. Quia autem JUVENALIS utitur plurali LICINIS, ad utrumque locus spectare potest, si saltem LICINUS, s. LICINIUS quidam CLAUDII libertus exstiterit, quod fortasse confici potest e loco MARTIALIS Libr. II, ep. XXXII:

Lis mihi cum Balbo, tu Balbum offendere non vis,
Procule: cum Licino est, hic quoque magnus homo est.
Vexat saepe meum Patrobas confinis agellum,
contra libertum Caesaris ire times.

Quia enim LICINUS, AUGUSTI libertus, jam TIBERIO imperante mortuus esse dicitur, MARTIALIS autem sub NERONE demum Romae vixit, de alio quodam LICINO, CLAUDII fortasse liberto, loqui potius mihi videtur, quam de eo, qui AUGUSTI tempore vixit. NERONI libertus quoque fuit PATROBIUS (1), idem fortasse qui h. l. a MARTIALE PATROBAS vocatur. Sed utrum LICINUS an LICINIUS sit dicendus non satis constat inter scriptores Latinos, et a DIONE CASSIO scribitur *Λικίννιος*. Mihi tamen ex auctoritate JUVENALIS et MARTIALIS praestare videtur forma LICINUS.

Jam vero videamus quid tradatur de AUGUSTI illo liberto. Exstat Scholion vetus, quod non abs re erit hîc totum describere: „LICIN(I)US ex Germania (2) „puer captus tantae industriae fuit, ut reliquias ciba„riorum inter conservos foeneraret, et cui quid credi„disset, quali poterat chirographo, pugillaribus subno„taret; quos cum in expeditione quadam, transiturus „flumen, in vestimentis recondidisset, C. JULIO CAESARI

(1) Cf. de eo TACITUS *Hist.* Libr. I, cap. XLIX; Libr. II, cap. XCV.

(2) DIO CASSIUS Libr. LIV, pag. 535 narrat eum ex Gallia oriundum esse; scribit enim: „*τὸ μὲν ἀρχαῖον Γαλάτης ἦν.*"

„quondam ei deneganti [in] pugillaribus quicquam an-
„notatum, barbarus lugens obtulit; statim ad dispen-
„sationem admissus, non multo post manumissus est;
„dein curationi Galliarum ab AUGUSTO praepositus, eas
„spoliavit: et cum flagraret invidia, basilicam sub no-
„mine C. JULII CAESARIS aedificavit. Decessit sub TI-
„BERIO, proinde dives, quod CASSII (1) opes etiam
„exhausisset, et dictus est habuisse nummos, quantum
„milvi volant. Unde PERSIUS [II, 36]:

Nunc Licini in campos, nunc Crassi mittit in aedes."

Quae in hoc Scholio narrantur maximam partem testimoniis scriptorum confirmantur. Narrat enim DIO CASSIUS Libr. LIV, pag. 535, LICINUM a JULIO CAESARE manumissum, ab AUGUSTO Galliae praefectum esse, unde turpissima avaritia commotus vilissimis artificiis pecunias corripuerit. Tale autem exemplum DIO CASSIUS in aliis affert: „*καὶ ἐς τοσοῦτόν γε κακοτροπίας „ἐχώρησεν, ὥστε ἐπειδή τινες εἰςφοραὶ κατὰ μῆνα παρ' αὐ- „τοῖς ἐγίγνοντο, τεσσαρεσκαίδεκα αὐτάς ποιῆσαι.*" Statuit enim mensem Decembrem, ut nomen ipsum indicaret, decimum anni esse, et duos alios anno adjunxit. Quod quo consilio fecerit dubium non est; eo plus enim pecuniae a Gallis exegit, quo lucro iniquissimo divitias suas auxit. Postremo tamen Galli vehementer eum accusarunt apud AUGUSTUM, qui quomodo eas criminationes acceperit, idem tradit his verbis: „*ἀγνοεῖν „γέ τινα ἔλεγε, καὶ προςεποιεῖτο ἕτερα μὴ πιστεύειν. Καὶ „ἔστιν ἃ καὶ συνέκρυπτεν, αἰσχυνόμενος ὅτι τοιούτῳ ἐπι- „τρόπῳ ἐκέχρητο.*" LICINUS tamen Gallos se accusan-

(1) Potius legendum videtur CRASSI, ut conficitur e versu PERSII, collatis SENECAE *Epist.* CXIX et CXX.

tes tali modo ludificatus est. AUGUSTO omnes suas divitias in aedibus suis monstravit dixitque se haec omnia non sibi collegisse, sed domino suo AUGUSTO. Qui quum donum illud haud spernendum accepisset, LICINUS incolumis periculo evasit. De LICINI administratione Galliarum loquitur quoque SENECA *in Apocolocynthosi Claudii;* pag. 821 A: „Hunc ego tibi recipio Lugduni „natum, ubi LICIN(I)US multos annos regnavit." Eundem praedivitem vocat in Epistolis CXIX et CXX, ubi cum CRASSO ejus nomen conjungitur. In LIPSII editione ad h. l. in adnotatione est epitaphium LICINI, quod apud SIDONIUM legi dicitur ep. VII Libr. V:

Marmoreo tumulo Licinus jacet, et Cato nullo,
Pompejus parvo: credimus esse deos?

Idem affertur a GRANGAEO in notis ad Satiras, qui e fragmentis PETRONII ARBITRI his versibus duos addit:

Saxa premunt Licinum, levat altum fama Catonem,
Pompejum tituli: credimus esse deos.

Denique SUETONIUS conferendus est, in cujus *vita Augusti* cap. LXVII LICINUS memoratur inter libertos, quos AUGUSTUS in honore et usu maximo habuerit.

Nec minus dives LICINO fuisse videtur CLAUDII libertus NARCISSUS, de quo legimus Sat. XIV, vs. 328 sqq:

Nec Croesi fortuna unquam nec Persica regna
sufficient animo nec divitiae Narcissi,
indulsit Caesar cui Claudius omnia, cujus
paruit imperiis uxorem occidere jussus.

NARCISSUS autem et PALLAS potentissimi fuerunt CLAUDII liberti, quorum ambitioni avaritiaeque quantopere imperator indulserit, tradit SUETONIUS *in vita*

Claudii cap. XXVIII: „sed ante omnes, NARCISSUM „ab epistolis, et PALLANTEM a rationibus, quos decreto „quoque senatus non praemiis modo ingentibus, sed et „quaestoriis praetoriisque ornamentis honorari libens „passus est; tantum praeterea acquirere et rapere ut, „querente eo quondam de fisci exiguitate, non absurde „sit dictum, *abundaturum, si a duobus libertis in con-* „*sortium reciperetur.*" Hujus autem NARCISSI fata exponamus ex iis, quae TACITUS praesertim et DIO CASSIUS memoriae prodiderunt. Imperatorem CLAUDIUM levem atque imbecillum senem fuisse historia docet, qui ab uxore MESSALINA, libidini dedita, et a libertis NARCISSO, PALLANTE, quibus tertium TACITUS CALLISTUM addit, imperium administrari passus sit. Horum enim arbitrio omnia fiebant, atque turpissima avaritia ducti nulla non civitatis munera venumdederunt, ut legimus apud DIONEM CASSIUM Libr. LX, pag. 676 E: „*ἡ δ'οὖν Μεσσαλίνα, οἱ τε ἀπε-* „*λεύθεροι αὐτοῦ οὕτως οὐ τὴν πολιτείαν μόνον, οὐδέ τάς* „*στρατείας, καὶ τάς ἐπιτροπείας, τάς τε ἡγεμονείας, ἀλλὰ* „*καὶ τἄλλα πάντα, ἀφειδῶς ἐπώλουν καὶ ἐκαπήλευον, ὥστε* „*σπανίσαι πάντα τὰ ὤνια κ. τ. λ.*" Potentia etiam abutebantur ad inimicos suos opprimendos, in quibus multos viros honestos; quod quomodo a CLAUDIO impetraverint tradit DIO CASSIUS l. l. pag. 673 E: „*αἴτιοι δὲ τούτων οἵ τε Καισάρειοι καὶ ἡ Μεσσαλίνα ἐγέ-* „*νετο. ὁπότε γάρ ἀπνοκτεῖναί τινα ἐθέλησαν, ἐξεφόβουν* „*αὐτόν κἀκ τούτου πάνθ' ὅσα ἐβούλοντο ποιεῖν ἐπετρέ-* „*ποντο.*" Sic in aliis C. APPIUS SILANUS artificiis MESSALINAE et NARCISSI periit (1). Huic enim, viro

(1) Vid. DIO CASSIUS Libr. LX, pag. 674 B; SUETONIUS *in vita Claudii* cap. XXIX et XXXVII; TACITUS *Annal.* Libr. XI, cap. XXIX.

nobili et Hispaniae praefecto, inde revocato MESSALINAE matrem uxorem dedit CLAUDIUS et familiariter eo utebatur. At quum brevi post libidinosae MESSALINAE concubitum recusasset, haec et NARCISSUS eum perdere statuerunt. Quum tamen non haberent quod crimini ei darent, credulo CLAUDIO persuaserunt se vidisse in somnio APPIUM SILANUM vim ei esse illaturum. Cui commento quum CLAUDIUM aurem praebere intelligerent, SILANUM in posterum diem clam arcessiverunt, qui quum venisset, a CLAUDIO sponte eum adesse existimante ut vim sibi inferret, capitis damnatus est. SUETONIUS l. l. cap. XXXVII addit: „Nec dubitavit „postero die CLAUDIUS ordinem rei gestae referre ad„senatum, ac liberto gratias agere, quod pro salute sua „etiam dormiens excubaret."

Quumque non ita multo post ANNIUS VINICIANUS et FURIUS CAMILLUS SCRIBONIANUS, conjuratione in CLAUDIUM patefacta et frustrata, manus sibi intulissent, MESSALINA et liberti omnes persequi coeperunt, quos aut hujus conjurationis conscios haberent, aut in posterum periculosos sibi fore judicarent; quod quam vilissimis modis perficerent nos docet DIO CASSIUS Libr. LX, pag. 695 A: „*τῆς γὰρ ἀφορμῆς ταύτης ἦγε Μεσσαλίνα καὶ ὁ „Νάρκισσος, ὅσοι τε συνεξελελεύθεροι αὐτοῦ, λαβόμενοι, „οὐδὲν ὅτι τῶν δεινοτάτων οὐκ ἐποίησαν. τά τε γὰρ ἄλλα „καὶ τοῖς δούλοις τοῖς τε ἀπελευθέροις, μηνυταῖς κατὰ τῶν „δεσποτῶν αὐτῶν ἐχρῶντο. τούτους τε καὶ ἑτέρους καὶ „πάνυ εὐγενεῖς, οἰχ ὅτι ξένους, ἀλλὰ καὶ πολίτας, οὐχ „ὅτι δημότας, ἀλλὰ καὶ ἐκ τῶν ἱππέων τῶν τε βουλευτῶν „τινὰς ἐβασάνιζον.*" Pauci tantum gratia MESSALINAE et libertorum aut magnam pecuniae summam solvendo salvi evaserunt, quum plerique eorum damnarentur, acto

judicio in curia coram imperatore et libertis. CAMILLI illius, de quo supra locuti sumus, libertus GALAESUS quoque in curiam ductus est et roganti NARCISSO quid facturus esset, si CAMILLUS rerum esset potitus, respondisse narratur a DIONE CASSIO Libr. LX, pag. 675 D: „ἑστήκειν ἂν ὄπισθεν αὐτοῦ καὶ ἐσιώπων," his verbis NARCISSUM culpans, qui coram patrono et imperatore nimiam et dicendi et agendi licentiam sibi arrogaret.

Quum A. U. 796 (p. Chr. 43) A. PLAUTIUS, exercitui praefectus, expeditionem in Britanniam susceptur-us esset, militesque primo negassent se ituros esse, „ὡς γάρ," ut tradit DIO CASSIUS Libr. LX, pag. 677 D, „ἔξω τῆς οἰκουμένης στρατεύσοντες ἠγανάκτουν," NARCISSUS a CLAUDIO missus est, qui eos ad officium redigeret. Qui quum de tribunali exercitum alloqueretur, milites, eum tanquam libertum irridentes, exclamarunt. „Io „Saturnalia," et PLAUTIUM sponte in Britanniam secuti sunt.

MESSALINA quum jamdudum turpissimae libidini se dedisset multosque habuisset amatores, quin etiam noctu in lupanari prostitisset, (1) tandem, quasi haec flagitia non sufficerent, A. U. 801 (p. Chr. 48), quum CLAUDIUS Ostiam esset profectus, C. SILIO nupsit, neque id clam fecit, sed magnificentissime nuptias exornavit. Deliberantibus deinde libertis, quid sibi faciendum esset, metuebant enim ne SILIUS rerum poteretur et pro CLAUDIO imperator salutaretur, PALLAS et CALLISTUS MESSALINAE resistere dubitaverunt, solus autem NARCISSUS consilium iniit MESSALINAM apud imperatorem accu-

(1) Vid. de ea re JUVENALIS Sat. VI, vs. 115 sqq.

sandi, quod ita narratur a TACITO *Annal.* Libr. XI cap. XXIX: „Perstitit NARCISSUS, at solum id im„mutans, ne quo sermone praesciam criminis et accu„satoris faceret: ipse ad occasiones intentus longa apud „Ostiam Caesaris mora duas pellices (1), quarum is „corporibus maxime insueverat, largitione ac promissis „et uxore dejecta plus potentiae ostentando perpulit „delationem subire." A quibus quum CLAUDIUS MESSALINAE nuptias cognovisset, NARCISSUM Ostiam arcessivit, qui criminationibus suis ei persuasit ut animadverteret in MESSALINAM, quae interim cum novo marito Romae festorum gaudiis se dabat. Ipse CLAUDIUS in magno timore versabatur, quum alii quoque amici ei suaderent, ut omnino securitati suae consuleret. Timebat etiam NARCISSUS ne precibus MESSALINAE amicorum commotus ei ignosceret, nec satis etiam praefecto praetorii GETAE fidebat, qui si ad MESSALINAE et SILII partes transiret, magnum inde videbat CLAUDIO sibique periculum exoriri posse. Quod qua ratione impediverit legimus apud TACITUM *Annal.* Libr. XI, cap. XXXIII: „Ergo NARCISSUS assumptis, quibus idem „metus, non aliam spem incolumitatis Caesaris affirmat, „quam si jus militum uno illo die in aliquem liberto„rum transferret, seque offert suscepturum. Ac ne, dum „in Urbem vehitur, ad poenitentiam a L. VITELLIO et „P. LARGO CAESINA mutaretur, in eodem gestamine „sedem poscit sumitque." Quum autem imperator ad urbem venisset, MESSALINA ei obviam facta est cum liberis suis, OCTAVIA et BRITANNICO, orans ut horum preces audiret, quin etiam virgo Vestalis, VIBIDIA, pro

(1) Pellices eas TACITUS *Annal.* Libr. XI, cap. XXX CALPURNIAM et CLEOPATRAM vocat.

MESSALINA deprecata est, NARCISSO contra vehementer ejus flagitiar et libidinem accusante. Postremo CLAUDIUS virgini Vestali respondisse fertur a TACITO l. l. cap. XXXIV: „auditurum Principem et fore diluendi cri„minis facultatem: iret interim virgo et sacra capesse„ret." Brevi post tamen, teste TACITO *Annal.* l. l. cap XXXV sq., SILIUS multique alii e sontibus ad mortem ducti sunt, quamquam ipsam MESSALINAM occidere CLAUDIUS dubitabat jussitque post epulas, ut ei nuntiaretur postero die causam ei fore dicendam. NARCISSUS tamen, metuens ne MESSALINA cum CLAUDIO in gratiam rediret, si colloquendi facultatem nancisceretur, idque sibi periculosissimum fore ratus, centurionibus et tribuno, quasi jussu imperatoris, mandavit, ut eam interficerent. Quod mandatum exsecuti quum eam occidissent, et postero die epulanti CLAUDIO nuntiatum esset MESSALINAM mortuam esse, nec nuntios interrogavit, utrum sua an aliena manu periisset, neque etiam sequentibus diebus ejus mentionem fecit. Imo NARCISSUS, qui unus caedis auctor vocandus erat, honoribus affectus esse narratur a TACITO *Annal.* Libr. XI, cap. XXXVIII: „Decreta NARCISSO quaestoria insignia, „levissimum fastidii ejus, quum super PALLANTEM et „CALLISTUM ageret."

Eodem anno, quo MESSALINA interfecta est, CLAUDIUS consilium cepit novam uxorem ducendi. Orto igitur inter libertos certamine, quis in uxore eligenda imperatori consilium daret, PALLAS AGRIPPINAE, NARCISSUS AELIAE PETINAE, LOLLIAE PAULINAE CALLISTUS favebant. Non potuit tamen NARCISSUS CLAUDIO persuadere, ut AELIAM PETINAM duceret, quam jam antea in matrimonio habuisset et ex qua filiam ANTO-

NIAM procreasset, et brevi post AGRIPPINAM duxit imperator. Quae res tamen NARCISSI auctoritati nequaquam nocuit, cujus gratia VESPASIANUM legatum legionis in Germaniam missum esse legimus apud SUETONIUM *in vita Vespasiani* cap. IV; quin ausus etiam est interdum imperatorem ludificari, cujus rei exemplum affert DIO CASSIUS Libr. LX, pag. 687 C. Quum enim Bithyni JUNIUM CILONEM, qui Bithyniae praefectus muneribus accipiendis magnas sibi acquisiverat divitias, apud imperatorem accusarent, huic, prae strepitu non bene audienti et roganti quid sibi vellent Bithyni, NARCISSUS respondit gratias agere eos JUNIO; quibus auditis CLAUDIUS dixisse narratur: „οὐκοῦν „ἐπὶ διετὲς ἐπιτροπεύσει."

AGRIPPINA autem, quippe quae ambitiosissima erat, NARCISSI ceterorumque libertorum potentiam ferre vix potuit. Quum igitur A. U. 805 (p. Chr, 52) in lacu Fucino certamen navale ederetur, quumque ii qui aderant ludorum spectandorum causa, exterriti essent, „quia," ut narrat TACITUS *Annal.* Libr. XII, cap. LVII, „vis „aquarum prorumpens proxima trahebat," occasionem arripuit NARCISSUM accusandi, sed frustra. Legimus enim apud TACITUM l. l.: „Simul AGRIPPINA trepida„tione Principis usa ministrum operis (1) NARCISSUM „incusat cupidinis ac praedarum: nec ille reticet impo„tentiam muliebrem nimiasque spes arguens." Semper deinde NARCISSUS AGRIPPINAE obstitit, in aliis quum A. U. 807 (p. Chr. 54) ageretur de judicio LEPIDAE, quam morte multari postulabat AGRIPPINA, NARCISSUS

(1) Quod opus intelligendum sit, conficitur e TACITO *Annal.* Libr. XII, cap. LVI, ubi inter lacum Fucinum et amnem Liris mons perruptus esse narratur.

libere sententiam dixit contra imperatoris uxorem. TACITUS nos docet *Annal.* Libr. XII, cap. LXV eum magis magisque AGRIPPINAM suspectam habuisse, cui in animo esse intellexit ut filius NERO pro BRITANNICO imperatori succederet, quum NARCISSUS BRITANNICO (1) magis faveret.

Eodem autem anno AGRIPPINA consilium iniit CLAUDIUM veneno tollendi, adhibita LOCUSTAE opera. Metuit vero NARCISSUM, quippe qui esset, ut scribit DIO CASSIUS Libr. LX, pag. 688 C: „τοιοῦτός τις φύλαξ „τοῦ δεσπότου." Hunc igitur ex urbe removit praetexens in Campania aquis ei utendum esse adversus podagram. Qui quum, ignarus consilii AGRIPPINAE abesset, CLAUDIUS veneno necatus (2) et NERO successor declaratus est. Primo hujus imperii anno AGRIPPINA adversario suo NARCISSO mortem paravit; narrat enim TACITUS *Annal.* Libr. XIII, cap. I: „Nec „minus properato NARCISSUS, CLAUDII libertus, de „cujus jurgiis adversus AGRIPPINAM retuli, aspera cus„todia et necessitate extrema ad mortem agitur, invito „Principe, cujus abditis adhuc vitiis per avaritiam ac „prodigentiam mire congruebat." DIO CASSIUS autem Libr. LX, pag. 688 D, NARCISSI mortem narrans, addit egregium ejus factum. Quum enim in eo esset ut interficeretur, literas quasdam cremavit, quas ut ab epistolis CLAUDII servabat, quibus literis criminatio-

(1) De NARCISSO et BRITANNICO illa quoque SUETONIUS narrat in *vita Titi Flavii Vespasiani* cap. II: »Quo quidem tempore, ajunt, METOSCO»PUM, a NARCISSO, CLAUDII liberto, adhibitum, ut BRITANNICUM inspiceret, »constantissime affirmasse: illum quidem nullo modo, ceterum TITUM, »qui tunc prope adstabat, utique regnaturum." TITUS autem simul cum BRITANNICO educabatur.

(2) Vid. TACITUS *Annal.* Libr. XII, cap. LVII.

nes in AGRIPPINAM aliosque continebantur. Sic igitur periit NARCISSUS, cujus opes et potentiam DIO CASSIUS l. l. hoc modo describit: „ἐπαπώλετο δὲ καὶ „αὐτὸς τῷ Κλαυδίῳ, μέγιστον τῶν ποτὲ ἀνθρώπων δυνη„θεὶς μυριάδας τε γὰρ πλείους μυρίων εἶχε, καὶ προσεῖχον αὐτῷ πόλεις καὶ βασιλεῖς."

Hujus NARCISSI (1) admiratorem fuisse VITELLIUM legimus apud SUETONIUM *in vita Vitellii*, cap. II: „NARCISSI quoque et PALLANTIS imagines aureas in„ter Lares coluit." Ad NARCISSI mortem alludit quoque SENECA *in Apocolocynthosi Claudii* pag. 833 his verbis: „Antecesserat jam compendiaria via (2) NAR„CISSUS libertus ad patronum excipiendum et venienti „nitidus, ut erat a balineo, occurrit, et ait: Quid Dii „ad homines? Celerius, inquit MERCURIUS, et venire „nos nuntia. Ille autem patrono plura blandiri vole„bat. Quem MERCURIUS iterum festinare jussit, et „virga morantem impulit. Dicto citius NARCISSUS „evolat."

PALLAS Sat. I, vs. 109 una cum LICINO memoratur, CLAUDII libertus, divitiis et potentia NARCISSO non inferior. CLAUDII autem favore eum quoque usum esse tradit TACITUS *Annal.* Libr. XI, cap. XXIX, quo loco exponens deliberationes libertorum de MESSALINAE et SILII nuptiis, ad PALLANTIS nomen talia addit:

(1) Alius NARCISSUS, athleta, apud scriptores memoratur, qui COMMODUM suffocasse dicitur. Vid. de eo DIO CASSIUS Libr. LXXIII, pag. 828 C; AELII SPARTIANI *vita Severi*, cap. XIV; SUIDAS in voce ἀμάστης.

(2) Fingitur autem CLAUDIUS post longum demum iter in Orcum descendisse, NARCISSUS contra breviore via eo pervenisse. Ex his igitur SENECAE verbis confici potest brevissimum temporis spatium elapsum esse inter CLAUDII et NARCISSI mortem.

„flagrantissimaque eo in tempore gratia PALLAS." MESSALINAM tamen accusare ausus non est, „per ignaviam," ut dicit TACITUS l. l., quam brevi post NARCISSI opera interfectam esse supra vidimus. Nec diu post PALLANTIS consiliis obsecutus est CLAUDIUS in AGRIPPINA ducenda, quod matrimonium quibus argumentis PALLAS imperatori suaserit, legimus apud TACITUM *Annal.* Libr. XII, cap. II: „At PALLAS id „maxime in AGRIPPINA laudare, quod GERMANICI „nepotem secum traheret dignum prorsus Imperatoris „fortuna, stirpem nobilem et familiae CLAUDIAE quae „posteros conjungeret, ne femina expertae fecunditatis, „integra juventa, claritudinem Caesarum aliam in do„mum ferret." Nec minus AGRIPPINAE filio DOMITIO, cui postea NERONIS nomen inditum est, favit PALLAS, quem ut CLAUDIUS adoptaret filioque suo, BRITANNICO, anteponeret A. U. 803 (p. Chr. 50) effecit. Tradit enim TACITUS *Annal.* Libr. XII, cap. XXV, PALLANTEM CLAUDIO suasisse: „consuleret „reipublicae: BRITANNICI pueritiam robore circumda„ret. Sic apud divum AUGUSTUM, quamquam nepo„tibus subnixum, viguisse privignos: a TIBERIO super „propriam stirpem GERMANICUM assumptum. Se quo„que accingeret juvene partem curarum capessituro." Eodem loco PALLAS dicitur „AGRIPPINAE obstrictus, „ut conciliator nuptiarum et mox stupro ejus illigatus." Quod adulterium postea NARCISSUM AGRIPPINAE objecisse, ejusque libidinem etiam a CLUVIO aliisque historicis culpatam esse memorat TACITUS *Annal.* Libr. XIV, cap. II hoc modo: „. . . . . seu credibilior novae libidinis meditatio in ea visa est, quae puellaribus annis stuprum cum LEPIDO spe do-

„minationis admiserat, pari cupidine usque ad libita „PALLANTIS provoluta et exercita ad omne flagitium „patrui nuptiis."

Quantopere autem PALLAS principis uteretur favore et a senatu coleretur, apparuit inprimis A. U. 805 (p. Chr. 52) ut nos docet TACITUS *Annal.* Libr. XII, cap. LIII. Quo anno quum PALLANTE auctore (1) ad senatum relatum esset de poena feminarum, quae cum servis rem habuissent, haec res potentissimo liberto magnum honorem attulit; legimus enim l. l.: „PALLANTI. . . . . praetoria insignia et centies „quinquagies sestertium censuit consul designatus BA„REA SORANUS: additum a SCIPIONE CORNELIO, gra„tes publice agendas, quod regibus Arcadiae ortus ve„terrimam nobilitatem usui publico postponeret seque „inter ministros Principis haberi sineret. Asseveravit „CLAUDIUS, contentum honore PALLANTEM intra pri„orem paupertatem subsistere: et fixum est aere pu„blice (2) senatusconsultum, quo libertinus sestertii ter „milies possessor antiquae parcimoniae laudibus cumu„labatur." Praeter TACITUM PLINIUS SECUNDUS hac de re mentionem facit, qui adulationem senatus et liberti insolentiam perstringens scripsit amico cuidam MONTANO duas epistolas, quae inveniuntur Libr. VII, ep. XXIX et Libr. VIII, ep. VI. In illa autem narrat se vidisse in via Tiburtina PALLANTIS monumentum, cui inscriptum erat: „huic senatus ob fidem pietatem-

---

(1) TACITUS l. l. hoc sic exprimit: »quem *repertorem* ejus relationis »ediderat Caesar," de qua voce cf. *Annal.* Libr. II: cap. XXX et Libr. IV, cap. XI.

(2) Scribit autem PLINIUS *Epist*, Libr. VIII, ep. VI, § 13: »idque »aes figeretur ad statuam loricatam divi JULII."

„que erga patronos (1) ornamenta praetoria decrevit et „sestertium centies quinquagies, cujus honore contentus „fuit." Quod quum vidisset quanta fuerit ejus indignatio, viri honesti sub praestantissimi principis imperio viventis, libere tali modo ad amicum scribit: „Equidem „nunquam sum miratus quae saepius a fortuna quam „a judicio proficiscerentur: maxime tamen hic me titu„lus admonuit quam essent mimica et inepta, quae in„terdum in hoc caenum, hos sordes abjicerentur, quae „denique ille furcifer et recipere ausus est et recusare, „atque etiam ut moderationis exemplum posteris pro„dere." Multo longior tamen et accuratior est altera epistola, qua PLINIUS sententiam suam exponit de ipso senatusconsulto, quo honor ille PALLANTI tributus sit. Longum est enumerare omnia argumenta, quibus PLINIUS demonstrat et PALLANTEM et senatum ipsumque imperatorem honestorum contemtu et indignatione dignos esse; sed quaedam tamen ex iis conferamus. De senatusconsulto sic loquitur § 2: „Inveni tam copiosum „et effusum, ut ille superbissimus titulus modicus atque „etiam demissus videretur." Senatores autem culpat § 4: „Mitto quod PALLANTI servo praetoria ornamenta offe„runtur; quippe a servis," et § 6: „Quid enim senatui „pulchrius quam ut erga PALLANTEM satis gratus vide„retur? Additur „„ut PALLAS, cui se omnes pro virili „„parte obligatos fatentur, singularis fidei, singularis „„industriae fructum meritissimo ferat."" Prolatos im„perii fines, redditos exercitus reipublicae credas." PALLANTIS autem superbiam incusat § 9: „Sprevit, quod „solum potuit tantis opibus publice oblatis arrogantius

(1) CLAUDIUS ejusque mater ANTONIA intelligendi videntur.

„facere, quam si recepisset." Singula postquam accuratissime exposuit, non injuria, ut mihi videtur, tale judicium fert de tota illa re § 15: „..... quasi vel„lent in oculis omnium figi, PALLAS insolentiam suam, „patientiam Caesar, humilitatem senatus."

Quamquam tunc tanta dona PALLAS recusavit, ditissimum tamen fuisse e multis scriptorum testimoniis cognoscimus. Jam supra, de NARCISSO agentes, vidimus, quae SUETONIUS *in vita Claudii*, cap. XXVIII de ejus opibus et rapacitate scripserit. Quod confirmari videmus a PLINIO H. N. Libr. XXXIII, cap. X, s. 47 scribente: „multos postea cognovimus servitute liberatos „opulentiores pariterque tris CLAUDI principatu, PAL„LANTEM, CALLISTUM, NARCISSUM." Praeterea legimus apud DIONEM CASSIUM Libr. LXII, pag. 707 B eum a NERONE interfectum (1) esse: „*ὅτι καὶ πλοῦτον ἐκέ„κτητο, ὥστε καὶ ἐς μυρίας μυριάδας αὐτὸν ἀριθμεῖσθαι.*"

Potentiam ejus et favorem imperatoris fratri ejus FELICI magno emolumento fuisse conficitur e TACITO *Annal.* Libr. XII, cap. LIV: „At non frater ejus, cog„nomento FELIX, pari moderatione agebat, jam pridem „Judaeae (2) impositus et cuncta malefacta sibi impune „tanta potentia subnixo." Nec spes eum fefellit; quum enim Romam reversus a Judaeis accusaretur FELIX, poenas procul dubio dedisset, teste FLAVIO JOSEPHO *Archaeol.* Libr. XX, cap. VIII, § 9: „*εἰ μὴ πολλὰ „αὐτὸν ὁ Νέρων τἀδελφῷ Πάλλαντι παρακαλέσαντι συνε„χώρησε, μάλιστα δὴ τότε διὰ τιμῆς ἔχων ἔκεινον.*"

---

(1) Infra tamen videbimus fuisse qui dubitarent num NERO eum interficiendum curaverit.

(2) Cf. FLAVIUS JOSEPHUS *Archaeol:* Libr. XX, cap. VII § 1 et *Bell Jud.* Libr. II, cap. XII, § 8.

Minime igitur est mirandum libertum tam potentem et divitem tanta arrogantia superbiaque fuisse, quanta scribit TACITUS *Annal.* Libr. XIII, cap. II: „PAL-„LAS, tristi arrogantia modum liberti egressus." Quam ne tum quidem exuisse PALLANTEM, quum gratia NERONIS destitutus esset, nos docent TACITUS et DIO CASSIUS. Quum autem A. U. 808 (p. Chr. 55) NERO flagraret amore libertae cujusdam, cui nomen erat ACTE, mater ejus AGRIPPINA, amissam auctoritatem blandiendo quum recuperare conaretur, odiosa ei esse coepit; omnibus igitur matris amicis adjutoribusque, in quibus PALLANTI, infensus erat. Legimus enim apud TACITUM *Annal.* Libr. XIII, cap. XIV: „demovet PALLANTEM „cura rerum, quis a CLAUDIO impositus velut arbitrium „regni agebat, ferebaturque, degrediente eo magna pro-„sequentium multitudine, non absurde dixisse, „*ire* PAL-„LANTEM, *ut ejuraret.* Sane pepigerat PALLAS, ne cu-„jusque facti in praeteritum interrogaretur paresque „rationes cum republica haberet." Sed amisisse eum imperatoris favorem alio etiam argumento TACITUS docet. Quum enim A. U. 809 (p. Chr. 56) PAETUS quidam ausus esset conjurationis eum accusare, quod memoratur *Annal.* Libr. XIII, cap. XXIII: „Deferuntur dehinc „consensisse PALLAS et BURRUS, ut CORNELIUS SULLA „claritudine generis et affinitate CLAUDII, cui per nup-„tias ANTONIAE gener erat, ad imperium vocaretur," absolutus quidem est, quum tanta superbia se defendisset, ut, nisi manifesta fuisset ejus innocentia, procul dubio damnatus esset; sed illa tamen addit TACITUS l.l.: „Nec tam grata PALLANTIS innocentia, quam gra-„vis superbia fuit." Cujus superbiae exempla legimus apud TACITUM et DIONEM CASSIUM. Scribit enim hic

Libr. LXII, pag. 707 C: „δυσκολίᾳ τρόπων πολλῇ ἐχρῆτο, „ὥστε μήτε τοῖς οἰκέταις μήτε τοῖς ἐλευθέροις διαλέγεσθαί „τι, ἀλλ'ἐς γραμματεῖα πάνθ'ὅσα ἐβούλετο καὶ προςετάσ- „σε σφισιν, ἐςγράφειν." Idem fere affirmat TACITUS *Annal.* Libr. XIII, cap. XXIII, ubi, quum in accusatione illa conjurationis liberti enumerarentur, quos conscios haberet, dixisse fertur: „nihil unquam se domi „nisi nutu aut manu significasse vel, si plura demon- „stranda essent, scripto usum, ne vocem consociaret."

Nunquam PALLAS cum NERONE in gratiam rediisse videtur, quin etiam A. U. 815 (p. Chr. 62) ab eo interfectus esse narratur a DIONE CASSIO, ut supra vidimus. TACITUS vero non expressis verbis NERONEM caedis auctorem vocat; tradit tantum credidisse homines veneno eum ab imperatore interfectum esse; cujus caedis causam eandem atque DIO CASSIUS affert TACITUS *Annal.* Libr. XIV, cap. LXV: „quod im- „mensam pecuniam longa senecta detineret."

Duorum praeterea libertorum nomina in Satiris leguntur, quorum etsi auctoritas non tanta quidem fuit, quanta eorum, de quibus egimus, aliquo saltem honore et dignitate fuisse reperimus; POSIDEN dico et SARMENTUM, quorum illum CLAUDIO imperante, hunc sub AUGUSTO vixisse legimus.

POSIDES memoratur Sat. XIV, vs. 91:

ut spado vincebat Capitolia nostra Posides.

Hunc quoque CLAUDII libertum fuisse divitem et potentem, quamquam NARCISSO aliisque inferiorem, cog-

noscimus e SUETONIO *in vita Claudii* cap. XXVIII: „Li-„bertorum praecipue suspexit POSIDEN spadonem, quem „etiam Britannico triumpho inter militares viros hasta „pura donavit." Quae in Scholiis adduntur, eum cohortibus quoque et alis praepositum esse provinciaeque Judaeae, et tributum ei esse jus lectica per urbem vec tandi spectaculaque publice edendi, eaque omnia apud SUETONIUM esse memorata, haec aperte falsa sunt et SUETONII locum accurate legenti persuasum erit Scholiastam confudisse tres hujus temporis libertos, POSIDEN, FELICEM, HARPOCRAM.

De POSIDIS divitiis aliquid affert PLINIUS, qui H. N. Libr. XXXI, cap. II, s. 2 mentionem facit de balineis „quae nunc Bajae Posidianae vocantur, nomine accepto „a CLAUDI Caesaris liberto." Quas balineas, quamquam expressis verbis non memoratur, magnificas fuisse conficere possumus ex iis, quae supra SENECAM affirmasse diximus, libertorum balineas omnes alias luxu et magnificentia longe superasse. Non sine causa igitur BRITANNICUS ad JUVENALIS l. l. adnotat: „Hic in „tantos evectus est opes, ut luxu insanas aedificiorum „extructiones superaret." Nulla autem ejus aedificia praeter balineas memorata inveni; et tamen assentior HEINRICHIO adnotanti: „Es muss aber in Rom selbst „grosse und kostbare Gebäude von ihm gegeben haben; „diess erfordert die Zusammenstellung mit dem Capitol." At deficientibus scriptorum testimoniis de POSIDE nihil amplius affirmare licet.

SARMENTI nomen legitur Sat. V, vs. 3:

quae nec Sarmentus iniquas
Caesaris ad mensas nec vilis Gabba tulisset.

Ad illum locum exstat Scholion, quo multa memoratu digna de SARMENTO afferuntur, quare hîc totum describamus: „SARMENTUS natione Tuscus, e domo „MARCI FAVONI, incertum libertus an servus (1), pluri„mis forma et urbanitate promeritis eo fiduciae venit, „ut pro equite Romano ageret [et] decuriam quoque „quaestoriam compararet. Quare per ludos quibus pri„mum XIV ordinibus sedit, haec a populo in eum dicta „sunt: „„aliud scriptum habet SARMENTUS, aliud po„„pulus voluerat. Digna dignis: sic SARMENTUS ha„„beat crassas compedes. Rustici ne nihil agatis, ali„„quis SARMENTUM alliget.““ Tum ut causam usur„patae dignitatis dixit precibus et gratia summoto ac„cusatore dimissus est, cum apud judices nihil aliud „docere temptaret, quam concessam sibi libertatem a „MECENATE, ad quem rectio bonorum FAVONI perti„nuerat. Jam autem senex in maximis necessitatibus, „ad quas libidine luxurieque deciderat, coactus auctio„nari, cum interrogaretur cur scriptum quoque censo„rium venderet, non infacete, bonae se memoriae esse „perdita.“ Scholii hujus initium confirmatur loco Horatiano in Sat. Libr. I, Sat. V. vs. 51—69, unde cognoscimus SARMENTUM FAVONII servum fuisse, qui vs. 52 *scurra* et vs. 78 *fugitivus* dicitur. Hic autem a MAECENATE manumissus scriba ejus factus esse videtur, ad quam rem alludunt vs. 65—67. Dubitant interpretes num hic idem sit SARMENTUS, atque ille qui AUGUSTO in deliciis fuit, cujus mentionem facit PLUTAR-

---

(1) Ex HORATII *Sat.* Libr. I, sat. V, vs. 55:

Sarmenti domina exstat cet.

conici posse mihi videtur eum M. FAVONII viduae servum etiam fuisse.

CHUS *in vita Antonii* cap. LIX: „ὁ δὲ Σάρμεντος ἦν „τῶν Καίσαρος παιγνίων παιδαρίων, ἃ δηλικίας Ῥωμαῖοι „καλοῦσιν." Mihi quidem idem esse videtur, quia in Scholio propter *formam* laudatur, propter *libidinem* vero culpatur. Nec immerito scurram vocatum esse SARMENTUM, confici potest ex iis, quae legimus apud QUINTILIANUM *Inst. Or.* Libr. VI, cap. III, pag, 545. „Et „SARMENTUS, seu PUBLIUS BLESSUS, JUNIUM, hominem „nigrum, et macrum et pandum, fibulam ferream dixit. „Quod nunc risus petendi genus frequentissimum est."

Hi igitur sunt liberti, quorum a JUVENALE mentio fit, quos vix satis eum culpasse historia docet. Tam perversam enim eorum auctoritatem esse vidimus, ut quo major libertorum fuerit potentia, eo pejores essent imperatores eoque tristior Romani imperii conditio.

THESES.

I.

E DEMOSTHENIS *πρὸς Λεπτίνην* § 56: „*τὸ μὲν γὰρ „ἐξ ἀρχῆς τι μὴ δοῦναι γνώμῃ χρησαμένων ἔργον ἀνθρώπων „ἐστὶ,*" vocabulum *ἔργον* ut interpolatum abjiciendum est.

II.

Non recte W. RIBBECKIUS in novissima sua ARISTOPHANIS *Acharnensium* editione (Leipzig 1864) vs. 632 lectionem recepit:

φησὶν δ'εἶναι πολλῶν ἀγαθῶν ἄξιος ὑμῖν ὁ ποιητής.

Vocabulum enim *ἄξιος* in *αἴτιος* mutandum est ex optima DAWESII conjectura.

III.

In editione Teubneriana ARISTOPHANIS *Lysistrata* vs. 1164 pro *βλιμάττομες* restituendum est *βλιμάδδομες.*

IV.

Apud Herodotum Libr. I, cap. XVI pro: „*Σμύρνην τε τὴν ἀπὸ Κολοφῶνος κτισθεῖσαν εἶλεν*", legendum est *ὑπὸ Κολοφῶνος*.

V.

Ex Herodoti Libr. I cap. LXXI sub fin. verba „*Πέρσῃσι γὰρ πρὶν Λυδοὺς καταστρέψασθαι, ἦν οὔτε ἀβρὸν, οὔτε ἀγαθὸν οὐδὲν*", ut glossema abjicienda sunt.

VI.

In Thucydidis Libr. III, cap. XLIV § 3 pro: „*καὶ οὐκ ἀξιῶ ὑμᾶς τῷ εὐπρεπεῖ τοῦ ἐκείνου λόγου τὸ χρήσιμον τοῦ ἐμοῦ ἀπώσασθαι* legendum est *ἀπώσεσθαι*.

VII.

E Thucydidis Libr. IV, cap. XC § 1: „*καὶ καθίσας τὸν στρατὸν Δήλιον ἐτείχιζε τοιῷδε τρόπῳ, τὸ ἱερὸν τοῦ Ἀπόλλωνος*" ultima verba ut glossema abjicienda sunt.

VIII.

E Thucydidis Libr. V, cap. XVIII § 6: „*ἀποδόντων δὲ καὶ Ἀθηναῖοι Λακεδαιμονίοις Κορυφάσιον κ. τ. λ. καὶ τοὺς ἄνδρας ὅσοι εἰσὶ Λακεδαιμονίων ἐν τῷ δημοσίῳ τῷ Ἀθηναίων ἢ ἄλλοθι που ὅσης Ἀθηναῖοι ἄρχουσιν ἐν δημοσίῳ*", duo ultima verba ut supervacanea abjicienda sunt.

IX.

In Sophoclis *Oedipo Rege* vs. 1037 sq. legimus:

ΟΙΔΙΠΟΥΣ.

ὦ πρὸς θεῶν, πρὸς μητρὸς, ἢ πατρός, φράσον.

ΑΓΓΕΛΟΣ.

οὐκ οἶδ'· ὁ δοὺς δὲ τοῦτ' ἐμοῦ λῷον φρονεῖ.

Pro *φρονεῖ* legendum esse judico *φράσει.*

X.

In Xenophontis *Anabasi* Libr. II, cap. V § 9 legimus: „*ἄνευ δὲ σοῦ πᾶσα μὲν διὰ σκότους ἡ ὁδὸς, πᾶς δὲ* „*ποταμὸς δύσπορος, πᾶς δ'ὄχλος φοβερὸς, φοβερώτατον* „*δ'ἐρημία· μεστὴ γὰρ πολλῆς ἀπορίας ἐστίν.*" Pro *φοβερώτατον* legendum propono *φοβερώτερον.*

XI.

In Platonis *Phaedone* cap. III, in fine legimus: „*ὥσπερ οὖν καὶ αὐτῷ μοι ἔοικεν, ἐπειδὴ ὑπὸ τοῦ δεσμοῦ* „*ἦν ἐν τῷ σκέλει πρότερον τὸ ἀλγεινὸν, ἥκειν δὴ φαίνεται* „*ἐπακολουθοῦν τὸ ἡδύ.*" Recte Hirschigius expungit *φαίνεται* sed pro *οὖν* scribendum videtur *νῦν.*

XII.

Non assentiendum est iis, qui Juvenalis Sat. XV, vs. 134 sqq:

> Plorare ergo jubet causam dicentis amici
> squaloremque rei, pupillum ad jura vocantem
> circumscriptorem, cujus manantia fletu
> ora puellares faciunt incerta capilli.

pro *causam dicentis* legendum proponunt *casum lugentis.*

XIII.

Ovidii *Tristium* Libr. I Eleg. III vs. 69—72:

Nec mora, sermonis verba imperfecta relinquo
Amplectens animo proxima quaeque meo.
Dum loquor et flemus, coelo nitidissimus alto,
Stella gravis nobis, Lucifer ortus erat.

ita transponendi sunt, ut vs. 69 et 70 post 72 legantur.

XIV.

Apud Cornelium Nepotem *in vita Cimonis* Cap. III § 4 pro *in oppido Citio mortuus est* legendum est *in oppugnando Citio.*

XV.

Apud Ciceronem *de Amicitia* cap. I in fine vulgo legitur: „respondet Laelius, cujus tota disputatio est de „amicitia, quam legens *tu te ipsum cognosces,*" in aliis „editionibus: *tu te ipse;* sed omnino legendum est *tu* vel *tute ipse cognosces.*

XVI.

Livii Libr. I. cap. III § 3 pro: „florentem jam ut „tum res erant atque opulentam urbem," per transpositionem legendum videtur: „florentem jam atque ut „tum res erant opulentam urbem."

XVII.

Non recte Pithoeus παράσημον Latino sermone *tutelam* vocari contendit; vertendum autem est *insigne.*

XVIII.

Juvenalis Sat. VII vs. 129 legendum est *Matho deficit*, non, ut alii volunt, *dejicit*; et *deficere* explicandum est *solvendo non esse.*

XIX.

Non recte in editione Heinrichii Juvenalis Sat. VII vs. 213 sq. sic leguntur:

> Sed Rufum atque alios caedit sua quemque juventus,
> Rufum, qui toties Ciceronem Allobroga dixit.

Pro *qui* omnino legendum est *quem.*

XX.

Faciendum videtur cum iis, qui Juvenalis Sat. VIII vs. 39 sq. pro Rubelli Blande legant Rubelli Plaute.

XXI.

Recte legitur de Catullo Messalino apud Aurelium Victorem *Epitom.* XII: „Hic jurgiorum *disceptator* et scientissimus et frequens fuit." Falluntur qui pro *disceptator* legi volunt *dispensator.*

XXII.

Merae nugae habendae sunt, quae in Scholiis ad Juvenalis Sat. VI, vs. 158 et 160 leguntur: „*Bar-*

„*barus.* barbarum PTOLEMEUM significat et BERNICEN „sororem ejus. *Dedit hunc Agrippa sorori.* JULIAM „neptem AUGUSTI significat cet." et: „*et vetus indul-„get senibus* id est, majoribus porcis parcunt; nam mi-„nores manducant."

XXIII.

Illis interpretibus consentio, qui in JUVENALIS Sat. I vs, 97 sq:

> Ille tamen faciem prius inspicit et trepidat, ne suppositus venias ac falso nomine poscas.

vocabulum *ille* accipiunt de servo nomenclatore non de ipso patrono avaro.

XXIV.

Ibid: vs. 126 legimus:

> profer, Galla, caput! noli vexare, quiescit.

Cum illis facio, qui totum hunc versum ad Gallae maritum referunt.

XXV.

Facio cum DÖLLENIO ad JUVENALIS Sat. XI vs. 203 sq.

> nostra bibat vernum contracta cuticula solem effugiatque togam.

adnotanti: „*effugere togam* ist hier wörtlich und nicht „bildlich zu verstehen."

XXVI.

Quae legimus apud PLINIUM H. N. Libr. XVIII, cap. III 20 de origine SERRANORUM nullius pretii esse videntur. Dicit enim: „Serentem invenerunt dati ho„nores SERRANUM, unde ei et cognomen."

XXVII.

Quae leguntur *Juvenalis* Sat. X, vs. 16 sq:

> Longinum et magnos Senecae praedivitis hortos
> clausit cet.

explicanda sunt: *Longini aedes clausit.*

XXVIII.

Quae leguntur ibid: Sat. VII vs. 205 sq:

> . . . . . et hunc inopem vidistis Athenae
> nil praeter gelidas ausae conferre cicutas.

SOCRATEM spectant, non SECUNDUM CARRINATEM.

XXIX.

Falsissima est opinio ACHAINTRI ibid. Sat. VII vs. 175 sqq:

> . . . . . tempta
> Chrysogonus quanti doceat vel Polio quanti
> lautorum pueros, artem scindes Theodori.

ultima verba de citharoedo interpretantis.

XXX.

Quod CRISPINUS a MARTIALE laudatur Libr. VII, ep. XCIX vs. 1 sq:

> Sic placidum videas semper, Crispine, tonantem,
> nec te Roma minus, quam tua Memphis amet.

ipsi poëtae vitio dandum est.

XXXI.

Falso DOMITIUS CALDERINUS ad JUVENALIS Sat. X vs. 16 sqq. de C. CASSIO LONGINO illa adnotat: „CASSIUS LONGINUS Ictus cui DRUSILLAM collocatam „imperator CALIGULA abduxit," quae verba de L. CAS„SIO LONGINO dicenda sunt.

XXXII.

Retrogressus Belgicarum literarum seculo XV praesertim tribuendus videtur mutatae imperii formae.

XXXIII.

Adjectivum nostrum *vaal* eandem originem indicat ac Graecum φαλὸς et Latinum *pallidus*.

XXXIV.

Falsa sunt quae SUETONIUS *in vita Neronis* cap. XXXVII de morte C. CASSII LONGINI narrat.

XXXV.

Assentiendum est CORSINIO in libro *de Praefectis Urbis* pag. 47 statuenti PEGASUM semel tantum praefectum urbis fuisse, non bis, quod nonnulli contendunt.

XXXVI.

DRUSI, TIBERII filii, caedis auctorem SEJANUM, patrem vero non conscium fuisse statuendum est.

XXXVII.

Lex Julia, qua civitas Romana sociis data est, lata non esset, nisi Romani socios timuissent.

XXXVIII.

Recte dicit F. C. SCHLOSSER *Weltgesch.* Bd. 4: „Es war ein Unglück für die Römer dasz Augustus „nicht die ganze republikanische Verfassung aufhob und „dem Reich eine neue Form oder Constitution gab.

XXXIX.

Recte L. LANGE: *Ueber Zahl und Amtsgewalt der Consulartribunen* pag. 21 dicit: „Falsch ist die An„sicht von LORENZ, das die ersten *tribuni militum* „weiter nichts als das militärische *imperium* gehabt „haben. Denn das ist staatsrechtlich unmöglich, dasz „ein Beamter das *imperium* hatte, ohne zuvörderst die „*potestas* zu haben.

XL.

Recte J. H. Krause *Geschichte der Erziehung u. s. w. bei den Griechen, Etruskern und Römern*, quum pag. 105 de Sophistis dixisset: „Die alte ehrwürdige „Sitte der Väter gult ihnen wenig und sie sprachen „darüber mehr mit Geringschätzung als mit Hochach- „tung," sic pergit: „*Dagegen darf man ihnen das Ver- „dienst nicht absprechen, dasz sie den Kreis des Un- „terrichts bedeutend erweitert hatten.*"

XLI.

Facio cum Jos. Beckio: *Encyclopaedie der theo- „retischen Philosophie* pag. 7 § 15 scribenti: „Das „äuszerste Moment oder der letzte Ausgangspunkt der „Philosophie ist der Trieb zu philosophiren; das aber „was dieser sucht, ist die Wahrheit, durch welche der Geist sein leben nährt und vervollkommnet, also sich „selbst verwirklicht."

XLII.

Assentiendum est A. Schweglero: *Geschichte der Philosophie im Umrisz* pag. 1 sq. dicenti: „Eine abso- „lute, vollendete Philosophie gibt es so wenig als eine „vollendete Empirik. Vielmehr existirt die Philosophie „nur in der Form verschiedener aufeinanderfolgender „Zeitphilosophieën, die, Hand in Hand mit dem Fort- „schritt der empirischen Wissenschaften und der alge- „meinen geselligen und staatlichen Bildung, im Laufe „der Geschichte hervorgetreten sind und die Weltwis-